

Colección «SCIENTIA»

- A—Pedro Lumbreras, O. P.: *Praelectiones scholasticae in stcunaum partem D. Thomae*, 12 tomos.
 I. *De fine ultimo hominis*.—II. *De actibus humanis*.—III. *De virtutibus et vitiis in communi*.—IV. *De vitiis et peccatis*.—V. *De gratia*.—VI. *De fide*.—VII. *De spe et caritate*.—VIII. *De prudentia*.—IX. *De iustitia*.—X. *De fortitudine et temperantia*.—XI. *De statibus hominum variis*.
- B—Abârzuzza-Iragui, O. F. M., Cap.: *Manuale theologiae dogmaticae*.
 I. *Theologiae fundamentalis*.—II. *De Deo Uno, Trino, Creante, Elevante ac de Novissimis*.—III. *De Verbo incarnato, de Bta. Virgine Maria, de Gratia Christi et de virtutibus infusis*.—IV. *De sacramentis in ordine et in specie*.
- C—Lumbreras, O. P.: *Casus conscientiae*.—Vol. I. *De principiis*.
 1.—Lôrraga-Lumbreras, O. P.: *Prontuario de Teologia moral*.
 2.—Ldrrago-Lumbreras, O. P.: *Epitome de Teologia moral*.
 3.—Gonzalez, Cap.: *Instituciones de Filosofía escolástica*.
 I.—*Lógica*.
 II.—*Crítica*.
 4.—Dautals: *Breve tratado de Moral social*.
 5.—Gabino Márquez, S. J.: *Filosofía del Derecho*.
 6.—Gabino Márquez, S. J.: *Los juristas alemanes al alcance de los estudiantes*.
 7.—Gabino Márquez, S. J.: *Doctrina de la Iglesia sobre el derecho de enseñar*.
 8.—Lumbreras, O. P.: *Casos y lecciones de la espiritualidad*.
 9.—Nazarlo de Santa Teresa, C. D.: *Filosofía de la mística*.
 10.—Casas, O. P.: *Instrucción sobre los votos religiosos y el objeto divino*.
 11.—Gallego, O. P.: *Buda y el budismo*.
 12.—Sertillanges, O. P.: *El orador cristiano*.
 13.—Alonso Lobo, O. P.: *Laicología y Acción Católica*.
 14.—Ramírez, O. P.: *El Derecho de gentes*.
 15.—Delgado Varela, O. M.: *La Eucaristía, misterio de la vida*.
 16.—Alvarez de Llerena: *Dudas y fe*.
 17.—González, C. M. F.: *El intelecto, fuente del conocimiento*.
 18.—Splazzi, O. P.: *Esencia y contemporaneidad de la Iglesia*.
 19.—Basilio de San Pablo, C. P.: *El misterio de nuestra redención*.
 20.—Jean Mouroux: *Sentido cristiano del hombre*.
 21.—Gregorio Armas, O. S. A.: *La moral de San Agustín*.
 22.—Lumbreras, O. P.: *Honradez y prosperidad*.
 23.—Lumbreras, O. P.: *La obediencia*.
 24.—Fernández Landa: *Tratado de Apologetica*.
 25.—McFadden, O. S. A.: *Ética y medicina*.
 26.—Lumbreras, O. P.: *Psicología de las pasiones*.
 27.—Michel: *Los falsos profetas y falsos misticos*.
 28.—Lhermitte: *Misericordia y falsos misticos*.
 29.—Fabbr: *La confesión de los pecados en el cristianismo*.
 30.—Funfani, O. P.: *Teología para seglares* (4 vols.).
 31.—Fernández, C. M.: *De confesariis filiarum caritatis*.
 32.—Fernández» C. M.: *La Administración económica de las religiosas*.
 33.—Pascual, benedictino: *El misterio litúrgico de la Semana Santa*.
 34.—Marcozzi, S. J.: *Los orígenes del hombre*.
 35.—Guerrero, S. J.: *Reflexiones sobre la previa Centura civil*.
 36.—Lecz Cndoya: *Ante la segunda revolución técnica—Proactividad, aignidad de la persona y relaciones humanas*.
 37.—Jimenez Fajardo, Pbro.: *El seminarista y la pureza*.

CASUS CONSCIENTIAE

EIUSDEM AUCTORIS

PRAELECTIONES SCHOLASTICAE, vol. XII in 8.º.

I. *De fine ultimo hominis*, Madrid, 1954, pp. X-120.

II. *De actibus humanis*, Romae, 1950, pp. XI-299.

III. *De habitibus et virtutibus in communi*, Romae, 1950, pp. XVI-281.

IV. *De vitiis et peccatis*, ed. 2.º, Madrid, 1958, pp. XII-198.

V. *De lege*, Madrid, 1953, pp. XI-193.

VI. *De gratia*, Romae, 1947, pp. XII-191.

VII. *De fide*, Romae, 1937, pp. XII-199.

VIII. *De spe et caritate*, Madrid, 1954, pp. XII-256.

IX. *De prudentia*, Madrid, 1952, pp. XI-120.

X. *De iustitia*, Romae, 1938, pp. XVI-456.

XI. *De fortitudine et temperantia*, Romae, 1939, pp. XII-224.

XII. *De statibus hominum variis*, Madrid, 1958, pp. XII-224.

CASOS Y LECCIONES DEL «QUIIOTE», ed. 2.ª Madrid. 1952, pp. 208.

LA CONTINENCIA PERIODICA, Madrid, 1956, pp. 42.

HONRADEZ Y PROSPERIDAD, Madrid, 1957, pp. 42.

LA OBEDIENCIA, Madrid, 1957, pp. 103.

PSICOLOGIA DE LAS PASIONES, Madrid, 1958, pp. 182.

LARRAGA-LUMBRERAS

Prontuario de Teologia Moral, Madrid, 1950, pp. 596-599.

Epitome de Teologia Moral, Madrid. 1953, pp. 680

CASUS CONSCIENŦIAE

ANTIQUI ET RECENTIORES

QUOS SOLVIT ET COLLEGIT

PETRUS LUMBRERAS, O. P.

APUD « ANGELICUM » DE URBE SUMMAE THEOLOGICAE PROFESSOR

W W* S. APOLLINAREM CASUUM MORALIUM CENSOR

DOJTRIKY/AJJQSTOIJCAE THEOLOGUS

S t

SOCIUS · POWUSS@{Jp^*

! 'O AXTA
^JX^HOMAE

DE PRINCIPIIS

Æ.J

2

EDICIONES STVDIVM

MADRID

PONTIFICIUM ATHENAEUM «ANGELICUM»

ROMAE

LIBRARY

ST. MARY'S COLLEGE

ST. MARYS, KANSAS

NIHIL OBSTAT:

P. Benedictus Lavaud, O. P.
S. Th. Mag.

P. Ludovicus Bender, O. P.
S. Th. Mag.

IMPRIMI POTEST:

P. Stephanus Gomez, O. P.
Vic. Mag. Gen.

IMPRIMATUR:

E Vicariatu Urbis. 4 iunii 1959.
f Aloysius Traglia, *Archiep. Caesarian.*
Vicesaerens.

N.º Rgtr.o 1553-60

Depósito legal: M. 1650.—1960

Gráficas HALAR, Andrés de la Cuerda. 4-MADRID

OSTQUAM typis mandavi Praelectiones Scholasticas in
Secundam Partem D. Thomae, collectionem Casuum
Conscientiae aggredior. Huius autem consilii ratio multi-
plex. Praecipua quidem, notum verbum Senecae ad Luci-
lium: (.{Longum iter per praecepta, breve et efficax per exem-
pla.} Accessit frequens votum amicorum atque discipulorum.
Eodemque spectat quod nulla prostat modo Casuum Con-
scientiae summa ad moralem doctrinam Doctoris Angelici
conflata.

Sed dum Auctores alii, qui exarato theologiae moralis
compendio vel epitome publicarunt Casus Conscientiae, lec-
torem, continuo revocabant ad praeivum illudmet commen-
tarium, putavi doctrinam casibus praemittendam cum ut
lectoris labori parcam ac expensis, tum ut principia quae ad
Casus nonnullos ipse applico valeat ille accommodare ceteris
quot occurrant.

E casibus delectis plurimos, qua. potui diligentia, ipse ab-
solvi, quod a permultis annis et fungar Censoris munere
in collationibus moralibus pro utroque Clero fere bis m
mense ad. S. Apollinarem in Urbe habitis et praesim exerci-
tationi seu seminario Moralis Practicae in Pontificia nostra
Facultate, apud Angelicum, praeterquam nonnullas solutio-
nes iam feci iuris publici in variis ephemeridibus et Casuum
Moralium collectaneis.

Alios insuper adiciendos congruum duxi. Eos imprimis quos Apostolica Sedes enodavit; ceteros, a probatis Auctoribus. Potiorem quidem partem, ab iis qui doctrinae traditae suffragantur; exiguam, ut par est, ab adversariis— non quin ab his dissentiam, verum ne cuiquam videar opinioni contrariae probabilitatem omnem subripere.

Quae in hoc volumine continentur ideo DE PRINCIPIIS nuncupavi quoniam ad tractatus attineant Primae Secundae ab ipso D. Thoma dicatos, id est ad morum Theologiae parti generali sive fundamentali. Et licet Angelicus Praeceptor egit ibi De lege seu de lege divina, quae una theologum spectat, disseram hic De legibus quoniam quaestiones practicae potissimum circa humanam, ecclesiasticam et civilem, versantur.

Romae, die 10 maii 1959, in festo S. Antonini, florentini archiepiscopi, quinto ineunte, ab eius obitu, centenario.

Auctor

INDEX

	a n .
Int r o d u c t i o	1-15
Doctrina : Ethica et theologia moralis traditionalis.....	1-5
Casus: Ethica sive moralis situationis.....	6-15

DE FINE ULTIMO

Finis honestus operantis	16-26
Doctrina.....	16-17
Casus I : Avarus putans omnia se egisse in finem avaritiae	18-22
C. II : Vacans negotiationi.....	23
C. III : Ob voluptatem comedens et bibens atque vacans coniugali copulae.....	24
C. IV : Coniugatus excludens finem honestum copulae.	25
C. V : Praedicans corporales delectationes cunctas damandas	26
Or d i n a t i o operum in deum.....	27-36
Doctrina.....	27-30
Casus I : Neglegens intentionem frequenter renovare.	31-32
C. II : Num mala sint opera non relata in Deum.....	33
C. III: Nimia sollicitudo renovationis periculosa	34
C. IV: Renovatio frequens commendanda.....	35
C. V : Operum virtualis relatio in Deum et in creaturam.	36

DE ACTIBUS HUMANIS

Vis seu violentia	37-46
Doctrina.....	37-39
Casus I: Resistentia praecepta oppressae feminae ...	40-12

	n n ·
C. II: Consensus delectationi ob tentationem vehementem aut ob stuprum.....	43
C. III: Num femina oppressa, quod interius consentit, ad restitutionem teneatur pro expensis prolis ...	44
C. IV: Num liceat puellae se habere negative seu permissive quoad stuprum.....	45
C. V: Quid agendum uxori sub vi a marito illata pro copula condomistica.....	45
Met us	47-61
Doctrina	47-51
Casus I: Violans ob metum liturgica praecepta, num latam suspensionis poenam evadat.....	52-57
C. II: Num sub metu mortis liceat puellae consentire aut se praeparare fornicationi.....	58
C. III: Utrum cooperatio ad onanismum vel sodomiam sit coniugi licita sub metu mortis.....	59
C. IV: An liceat, sub metu mortis, cooperari ad furtum.	60
C. V: Clausurae violatio ob metum gravem.....	61
Vis et met us	62-69
Doctrina	62
Casus I: Puer quo avunculus sodomistice abutitur cuique gravia minatur si resistat.....	63-65
C. II: Puellae non resistentes militibus regionem occupantibus	66
C. III: Num sub vi pariter ac metu liceat virgini se habere negative, id est passive.....	67
C. IV: Quid agendum uxori sub vi atque metu mariti in copula condomistica.....	68
C. V: Num illi liceat marito morem gerere corporisque facere copiam.....	69
Ignorantia	70-85
Doctrina	70-74
Casus I. De erroribus confessarii ignorantis.....	75-80
C. II: Rem habens cum coniugata quam putabat solutam	81
C. III: Ordinatus ob falsum titulum, num valide ordinatus	82
C. IV: Legens librum quem ignorabat vetitum, quemque legeret conscius prohibitionis.....	83
C. V: De matrimonii valore dubitans nec inquirens, ab eius ne usu prohibeatur.....	84

C. VI: Alienans propter ignorantiam titulos monasterii absque beneplacito apostolico, num incidat in excommunicationem	85
INADVERTENTIA	86-98
Doctrina.....	86-88
Causa I: Qui in parochum iratus negavit fidem publice, an censuram incurrerit.....	89-91
C. II: Carnes vetitas manducans ex distractione	92
C. III: Ob inadvertentiam incendens domum pauperis amicissimi.....	92-95
C. IV: Inadvertenter clericum occidens.....	96
C. V: Non advertens laicus ad condicionem feminarum quas concupiscit.....	97
C. VI: Sacerdos non advertens ad condicionem propriam quando peccat luxuria.....	98
Causae habituales influentes in voluntarietatem et libertatem	99-111
Doctrina.....	99-104
Causa I: Puella hysterica cui matrimonium commendatur	105-108
C. II: Blasphemans ex habitu.....	109
C. III: Femina turbata ideis blasphemiae et obsessione suicidii	110
C. IV: Excitatio sexualis involuntaria non augenda ...	111
Imputabilitas propriae actionis vel omissionis earumque effectuum.....	112-125
Doctrina.....	112-117
Causa I: In competitione currens cum automobili et occidens vetulam et gallinas.....	118-120
C. II: Proiciens lapidem in avem et hominem occidens. Equitans ferocem equum atque puerum conculcans.	121
C. III: Clericus vacans venationi clamorosae et laicus vacans periculoso operi, num sint rei homicidii ...	122
C. IV: Abstinentes ad auxilio ferendo ei qui in aquis periclitabatur et illis qui inter se rixabantur.....	123
C. V: Quomodo errores imputentur confessario ignorantibus	124
C. λϚI: Quandonam peccet sive homicidio qui venenum praebet sive confessarius ignorantiae conscius ...	125
Moralitas ex obiecto	126-136
Doctrina.....	126-128

	n n .
Casus I: Aeronauta timens prodere patriam si in terrain descendat inimicorum	129-131
C. II: Traditio innocentis tyranno alias minanti excidium civitatis. Occisio debilium ex mandato auctoritatis publicae.....	132
C. III: Occisio sive contagioso morbo laborantium sive parvulorum ad cautelam.....	133
C. IV: Proiectio pueri lupis insequentibus vel quorundam in mare ad alleviandam scapham. Fuga per arctam viam cum periculo conculcandi parvulum.	134
C. V: Inseminatio artificialis.....	135
C. VI: Furtum in necessitate tum extrema tum gravi.	136
Circumstantiarum influxus in actuum moralitatem.....	137-146
Doctrina.....	137-138
Casus I: Confessio integra furis, blasphemi, turpia loquentis et agentis, festa atque ieiunia solventis ...	139-141
C. II: Circumstantiae <i>quis et circa quid</i>	142
C. III: Circumstantiae <i>quibus auxiliis et quomodo</i> ...	143
C. IV: Circumstantiae <i>ubi et quando</i>	144
C. V: Furtum rei sacrae. Adulterium duplex.....	145
C. VI: Adulter et incestuosus. Pluribus imprecatus ...	146
Actuum moralitas ex fine.....	147-158
Doctrina.....	147-151
Casus I: Agens actus religionis pro insigni obtinendo.	152-153
C. II: Ob finem pravum sive fodiens foveam sive largitus munera.....	154
C. III: Dans eleemosynam ut avertat a fide; praedicare incipiens intentione bona, prosequens vero mala ...	155
C. IV: Eleemosynam dans ob finem bonum atque malum; intentam propter Deum et factam pro hominibus	156
C. V: Eleemosynam dans cum vana gloria. Missae assistens secundario propter concupiscentiam ...	157
C. VI: Confessionem, communionem, missam frequentans ut placeat superioribus.....	158
Moralitas ob duplicem effectum.....	159-172
Doctrina.....	159-161
Casus I: De montium ascensione periculosa	162-166
C. II: Matris occisio ut fetus baptizetur. Abortus ad vitandam infamiam	167
C. III: Vacans operi bono ob finem etiam malum. Porrigens Eucharistiam peccatori occulto.....	168

	n o .
C. IV : Defensio cruenta vitae et bonorum.....	169
C. V : Narcotica pro operatione chirurgica. Euthanasia.	170
C. VI: Cordis punctio prae sepultura	171
C. VII : Ratio excusans famulatum periculosum atque carnium prohibitarum appositionem	172
Moralitas ex conscientia erronea	173-187
Doctrina	173-177
Causus I: Ignorans malitiam masturbationis, cogitatio- num turpium, circumstantiae personae, periurii pro salute amici.....	178-180
C. II : Servans abstinentiam quam erronee putabat prae- ceptam	181
C. III : Librum legens quem falso putabat vetitum sub poena excommunicationis.....	182
C. IV : Putans se peccare non audiens Missam auditu impossibilem.....	183
C. V : Pollutionem nocturnam putans peccatum.....	184
C. VI : Communista putans iniustam proprietatem pri- vatam atque spargens inter fideles atheismum..	185-186
C. VII : Obiecto conscientiae tempore belli.....	187
Moralitas imperfectionum.....	188-202
Doctrina.....	188-194
Causus I: Materia pro confessione insufficientis	195-198
C II : Religiosus putans se teneri ad observantias alia- rum religionum, immo ad omnia quae perfectioni favent.....	199
C. III: Monialis non obsequens desideriis abbatissae.	200
C. IV: Religiosus frangens Regulam	201
C. V : Parochus qui devotionem serotinam urget et qui ab ipsa fideles dehortatur.....	202

DE PECCATIS

Peccatorum distinctio specifica	203-215
Doctrina.....	203-205
Causus I: Religiosus vacans negotiationi.....	206-209
C. II: Frangens ieiunium multipliciter debitum. Omit- tens confessionem annuam et communionem pas- chatis.....	210
C III Lapsus in fornicationem ob omissionem orationis.	211
C. IV : Reus sacrilegii realis et personalis	212

C. V: Avarus atque prodigus. Multipliciter peccans contra iustitiam.....	213
C. VI: Corde, ore et opere peccans tum ira tum luxuria.	214
C. VII: Plura furatus. Furet detractor.....	215
Peccatorum distinctio numerica	216-230
Doctrina.....	216-219
Causa I: Destruens domum et occidens inhabitantes ...	220-223
C. II: Multiplicatio pollutionum et fornicationum. Actus antecedentes et consequentes copulam	224-225
C. III: Copula attentata nec consummata; consummata etsi non intenta.....	226
C. IV: Furtum per partes; rem furatam retinens per annum.....	227
C. V: Omittens recitationem breviarii	228
C. VI: Detrahens vel maledicens pluribus membris unius familiae.....	229
C. VII: Defectus proximorum inquirens atquenarrans.	230
Cogitationes pravae.....	231-243
Doctrina.....	231-235
Causa I: Tota die vacans cogitationibus turpibus ...	236-239
C. II: Dubitans de consensu, saltem deliberato, cogita- tioni pravae.....	240
CC. III-IV: Curiosus de venereis. Consentiens delecta- tioni pravae in ecclesia.....	241
C. V: Delectatio operis vetiti sub condicione non-vetiti.	242
C. VI: Nesciens an delectetur de re cogitata aut de co- gitatione	243
Desideria prava	244-257
Doctrina.....	244-248
Causa I: Desiderium multipliciter condicionatum ho- miciidii	249-251
C. II: Confessio desiderii furandi rem sacram, vindictae sive copulae in genere.....	252
C. III: Condiciones non auferentes desiderii malitiam.	253
C. IV: Condicio dubia.....	254
C. V: Desiderii malitia relicta	255
C. VI: Condiciones auferentes malitiam desiderii	256
C. VII: Condicio «si liceret», «si peccatum non esset».	257
Gaudium pravam.....	258-269
Doctrina	258-260

Casus I: Religiosa quae paenitet de voto et immoratur in confessione fornicationis anteactae.....	261-263
C. II: Viduae gaudium de copula coniugali.....	264
C. III: Gaudium de detractioe.....	265
C. IV: Gaudium de periurio, etsi materiali, ob bonum effectum; et de peccato materiali qua tali.....	266
C. V: Gaudium de privata occisione hostis Ecclesiae ob commoda consecuta; de hereditate ob patris occisionem; de exoneratione ex pollutione; de divitiis ex adulterio.....	267
C. VI: Iuvenes se iactantes de mortalibus in communi et exprobrantes aliquem de mortali omisso.....	268
C. VII: Tristatus de bono peracto.....	269
Mali desiderium et gaudium.....	270-280
Doctrina.....	270-271
Casus I: Mala optans inimicis Ecclesiae et de eorum malis gaudens.....	272-274
C. II: Optare peccatori damnationem aeternam. Imprecationes Scripturae.....	275
C. III: Mortem sibi desiderare.....	276
C. IV: Optare mortem patris ad hereditatem adeundam vel coniugis ad novum matrimonium.....	277
C. V: Optare mortem mariti asperi, filiaeve deformis.	278
C. VI: Tristari de vita alicuius, de eius morte gaudere, eamve desiderio inefficaci velle ob emolumentum temporale; optare malefactori carcerem et de incarceratione gaudere.....	279
C. VII: Tristari quod indigni honorentur, quod improbi praevaleant et ditescant.....	280
Peccati occasio.....	281-292
Doctrina.....	281-284
Casus I: Famula sollicitata ab hero a quo facile recedere nequit.....	285-287
CC. II-III: Visitatio tabernae pro ebrioso. Famula peccans ter quatterve in anno.....	288
C. IV: Absolutio cohabitantis cum complice.....	289
C. V: Medicus frequenter peccans cum feminis aegrotis.	290
C. VI: Famula peccans cum hero qualibet hebdomada.	291
C. VII: Herus olim peccans cum famula.....	292
Requisita ad peccatum mortale.....	293-305
Doctrina.....	293-297
Casus I: Puella satis libera se excusans ob inadvertentiam.....	298-300

CC. II-III : Gravitas praecepti servandi festa et infundendi aquae nonnullas guttulas in calicem	301
C. IV : Violatio clausurae num admittat materiae parvitatem	302
C. V: Materia gravis in voto.....	303
C. VI: Num peccata mortalia sint rara.....	304
C. VII: Quomodo peccet qui non cogitat de gravitate.	305
Quomodo peccatum veniale fiat mortale.....	306-314
Doctrina.....	306-308
Causus I: Famula vacans furtulis.....	309-311
C. II: Coalescentia omissionum in Officio; detractio- num et calumniarum.....	312
C. III: Coalescentia operum servilium; comestionum in die abstinentiae vel ieiunii.....	313
C. IV: Coalescentia in fractione voti.....	314

DE LEGIBUS

Naturalis legis ignorantia	315-325
Doctrina.....	315-317
Causus I: Miles ignorans malitiam fornicationis atque suicidii.....	318-320
C. II: Confessarius nullam admittens invincibilem ig- norantiam ob verba Tridentini.....	321
C. III: Materfamilias ignorans malitiammendacii.....	322
C. IV: Ignorans malitiam abbreviationis vitae.....	323
C. V: Confessarius omnem aut nullam interrogans coniugatam circa onanismum	324-325
Lex humana quoad actus internos.....	326-338
Doctrina.....	326-328
Causus I: Sacerdos recitans Officium voluntarie distrac- tus	329-333
C. II: Meditatio imposita a superiore religioso.....	334
CC. III-IV: Meditatio imposita a confessario; vel pro lucranda indulgentia	335
C. V: Excommunicatio lata in haereticos.....	333
C. VI: Applicatio missae pro populo.....	337
C. VII: Id. ad intentionem superioris religiosi	333
Legis humanae promulgatio	339-354
Doctrina.....	339-344

Casus I: Notitia privata folii vetiti a S. Officio	345-349
C. II: Declaratio pontificia de quarundam operationum chirurgicarum illiciteitate.....	350
C. III: Lex pontificia nondum promulgata in folio dioecetano.....	351
C. IV: Quo tempore urgeant decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium	352
C. V: Pro notitia legum episcopalium, an quis teneatur emere folium dioecetano.....	353
C. VI: Lex regia cognita prae promulgatione	354
R e s c r i p t a	355-366
Doctrina	355-359
Casus I: Vitiosae preces pro dispensatione a matrimonio minori impedimento.....	360-362
C. II: Dispensatio ab impedimento disparitatis cultus ob causam inexistentem	363
C. III: Quando oportet verificetur dispensationis causa.	364
C. IV: Iterans preces et silens praeteritam repulsam.	365
C. V: Dispensatio quandiu perseveret.....	366
C e n s u r a e e t c a s u s e p i s c o p a l e s	367-378
Doctrina	367-371
Casus I: Suspendio episcopalis in sacerdotes assistentes taurorum agitationibus.....	372-375
C. II: Interdictum locale quos afficiat.....	376
C. III: Reservatio quoad senem qui non valet egredi e conventu.....	377
C. IV: Absolvens in dubio reservations.....	378
L e x c i v i l i s p o e n a l i s	379-389
Doctrina	379-381
Casus I: Censens cunctas civiles leges esse pure poenales, ipsas transgreditur pro libitu	382-386
C. II: Occultans redditus et vacans commercio clandestino	387
C. III: Statum defraudans in litteris mittendis et usu redae publicae.....	388
C. IV: Lex conscriptionis militaris.....	389
L e x c i v i l i s i n i u s t a	390-401
Doctrina	390-391
Casus I: Sterilizationis legem circumveniens	392-395

	no.
c. II: Iudex catholicus quoad divortium coniugum hebraeorum.....	396
C. III: Id. quoad divortium acatholici ab infideli	397
C. IV: Advocatus catholicus quoad divortium non bap- tizatorum	398
C. V: Id. quoad divortium acatholici ab infideli	399
C. VI: Parochus conventus coram iudice civili.....	400
C. VII: Quid liceat civi onerato tributis nimis.....	401
 Epik e ia	 402-413
Doctrina.....	402-405
Causa I: Missam dominicalem omittens ex epikeia ...	406-408
C. II: Epikeia quoad omissionem Officii.....	109
C. III: Id. quoad laborem dominicis diebus.....	410
CC. IV-V: Id. quoad ieiunium Ecclesiae et quoad lectio- nem librorum prohibitorum	411
C. VI: Id. quoad Constitutiones O. P.....	412
C. VII: Id. quoad impedimenta matrimonii.....	413
 Pr a e c e p t a	 414-426
Doctrina.....	414-417
Causa I: Pia Unionis moderator nimis postulans.....	418-421
C. II: Uxor faciens eleemosynam contra vetitum viri.	422
C. III: Puella vacans pietatis exercitiis contra vetitum parentum.....	423
C. IV: Sacerdos subiacens praecepto personali.....	424
C. V: An uno actu satisfieri possit pluribus praeceptis.	425
C. VI: Num etiam eodem tempore.....	426
 Index Auctorum.....Pag.	 261
Index alphabeticus rerum	Pag. 263

INTRODUCTIO

MORALIS TRADITIONALIS ET SITÜATIONIS

Doctrina.

Ex principiis naturaliter notis procedit Philosophus moralis ad deducendas conclusiones, proximas et remotas, sic determinans in universali—prouti scientiam decet—agendi normas fini ultimo naturali consentaneas, quapropter actuum humanorum regulas Ethicae; v. gr. Homini agendum est ad rationem conformiter, sed ad rationem conforme est quod cuique suum reddatur, ergo deposita sunt reddenda.

Ex veritatibus quoque revelatis Theologus procedit ad deducendas conclusiones proximas et remotas, sic determinans in universali—prout exigit scientia—normas agendi congruas superno fini, humanorum igitur actuum regulas moralis Theologiae; v. gr. Insontem non occides (Ex., 23, 7), atqui craniotomia est occisio innocentis, ergo craniotomia est divinitus vetita.

Ab his universalibus agendi normis, notis per habitus syndereseos, scientiae, fidei, homo proficiscitur ut cognoscat num actus aliquis in concreto sit moraliter bonus aut moraliter malus, ponendus aut omittendus potius; v. gr. Deposita sunt reddenda, sed hic ensis fuit depositatus, ergo red-

dendus; craniotomia est illicita, sed haec chirurgica operatio est craniotomia, ergo haec chirurgica operatio est illicita. Hinc D. Thomas: «Ratio secundum duplicem scientiam est humanorum actuum directiva: scilicet secundum scientiam universalem et particularem. Conferens enim de agendis, utitur quodam syllogismo, cuius conclusio est iudicium seu electio vel operatio. Actiones autem in singularibus sunt. Unde conclusio syllogismi operativi est singularis. Singularis autem propositio non concluditur ex universali nisi mediante aliqua propositione singulari: sicut homo prohibetur ab actu parricidii per hoc quod scit patrem non esse occidendum, et per hoc quod scit hunc esse patrem» 1.

- 3 At si conclusio huiusmodi descendit ab aliquo principio, oportet hoc principium esse applicabile ad casum singularem qui nunc agitur. Quapropter principia legis naturae vel divinae, unde ratio recta syllogizat, debent esse applicabilia ad multiplices casus.

Quin ideo omnia principia pari gaudeant universalitate. Nam «ratio practica negotiatur circa contingentia, in quibus sunt operationes humanae: et ideo, etsi in communibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad propria descenditur, tanto magis invenitur defectus» 2. Ideo deposita esse reddenda non est verum in omni casu, sed ut in pluribus; falsum, contra, in paucioribus. Paucioribus igitur his casibus non oportet applicetur haec norma agendi (quae ad huiusmodi casus non protenditur), sed norma alia superior ideoque universalior (casus istos complectens).

- 4 Quo quidem uno sensu de mutatione legum naturae loquimur; non quasi alia esset lex naturae abstractae et alia lex naturae concretae—quasi illa foret immutabilis, haec vero variabilis—, sed quod quaedam praecepta legis naturae ur-

1 S. Thomas. *Summa Theol.*, I-II. 76. 1.

2 S. Thomas, *l. c.*, 94. 4.

géant dumtaxat ut in pluribus; sic attamen ut in casibus ceteris invocanda et applicanda sint alia, naturalis quoque legis, praecepta.

Agitur ergo casus collisionis sive conflictus legum, prout communiter dicitur. Cum tamen in adiunctis lex inferior cedat superiori legi praevalenti, ad indicium verum de agendis procedit omnis homo, in determinata quoque situatione, ex aliquo principio morum seu ex aliqua lege universalis.

Demum, haec lex universalis, quod fundetur in essentiali rerum ordine—si lex naturae—aut fulciatur—si revelata—auctoritate Dei, qui nec fallere potest neque falli, gaudet prorsus obiectivo valore; quem et obtinent conclusiones logicae—[^]propterea e principiis deductae quoniam in principiis continentur—. Actus igitur hic concretus, non modo bonitatis refert speciem, est insuper objective bonus.

Casus primus.

Lucretius, etsi laicus, religionem in lycaeis Urbis docet. 6 Novis ideis quoad ethicam situationis quae dicitur illectus, eam ut certam doctrinam moralem suis discipulis tradit. Deo enim acceptum est non tam id quod legibus moralibus statuitur, docet Lucretius, sed quod conscientia mea in singulis peculiaribus condicionibus dictat: conscientia igitur non est quaedam norma cognoscitiva et passiva, sed activa quidem ac creatrix praecipua totius moralitatis.

Nonnulli alumni, novitatis pruritus persentientes, auctoritati ecclesiasticae rem deferunt, cui per singulos annos ius religionis professores confirmandi pertinet. Postea vero scrupulis angustiantur se male egisse, ut delatores in re minimi momenti et proinde ad reparationem teneri.

Quaeritur :

- 1) Quid de «Ethica situationis»?
- 2) Quid ad casum?

Solutio

7 *Ad Ium.*— «Ethica situationis», de qua Pius XTI I et Instructio consequens S. Officii², distinguens naturam humanam essentialem, abstractam, absolutam—quoad elementa nempe sine quibus homo non manet amplius homo—et naturam humanam existentialem, concretam, relativam—quae importaret insuper elementa non pauca, etiam substantialia, quibus ipsamet essentialia elementa modificantur penes hominem individuum—, et ideo secernens legem naturalem abstractam, absolutam et immutabilem, a lege naturali concreta, relativa atque variabili, duplex exhibet postulatum, negativum et positivum videlicet.

Postulatum negativum sic sonat: Ultima et decisiva norma recte agendi, ex qua homini, in situatione concreta posito, innotescit quid sit obiective bonum aut malum, non est, saltem in multis rebus, norma obiectiva, ordo nempe obiectivus rectus, naturali (et immutabili) lege determinatus et ex hac lege certo cognitus, seu legis naturalis (et immutabilis) ad particularem casum applicatio, attentis et ponderatis casus circumstantiis. Quapropter tum ordo obiectivus tum regulae generales non necessario et semper valorem normae ultimae et decisivae obtinent; non sunt, aliis verbis, ultima et decisiva norma agendi in omni individua situatione. Contendunt igitur situationis Ethicae patroni plura quae traditionalis seu obiectiva Ethica adscribebat naturae legi non habere valorem absolutum; hic vel ille, propterea, casus ab illis principiis exsulat seu est exemptus. Etiam cum illa principia sunt applicabilia, haec contendunt non applicari sola. Decisio

» AAS.. 44 (1952), pp. 273. 414 ss.

» AAS.. 48 (1956). p. 144 s.

ergo conscientiae non fit, aiunt, per syllogismum, formalem aut virtualement.

Postulatum vero positivum est huiusmodi: Ultima et decisiva norma recte agendi est intimum ac immediatum cuique mentis iudicium sub lumine interno et individuali. Hoc lumen significat individuo homini in concreta situatione posito quid sibi tunc agendum sit ut obiective bonum, quid omittendum ut obiective malum. Sic homo praeservatur vel facile liberatur a multis conflictibus ethicis aliter insolubilibus. Sufficit animi sinceritas qua homo, in concreta quavis situatione, iudicet coram Deo.

Breviter his opponam quae alias | vulgavi fusius.

8

Postulatum illud negativum adducit imprimis in absurda: nam conscientiae iudicium foret obiective rectum atque verum etsi in nonnullis casibus dictaret fidem catholicam deserendam, matrimonii vinculum dissolvendum, abortum procurandum, legitimae auctoritati (domesticae, ecclesiasticae, civili) negandam oboedientiam². Repugnat insuper doctrinae morum ab Ecclesia catholica constanter seu per saecula traditae: in hac enim doctrina decisio quae dicitur conscientiae fit per syllogismum; sed in huiusmodi syllogismo applicatur lex naturae essentialis ad casum particularem seu ad situationem concretam; ergo principia quaedam legis naturae (essentialis et immutabilis), unde ratio recta syllogizat, applicabilia sunt ad casus universos—etiam tunc cum agitur casus, ut aiunt, collisionis sive conflictus legum et lex inferior cedit superiori, iudicium de agendis in hac determinata situatione venit ex aliquo principio morum seu ex aliqua lege universali, potiori et praevalente.

¹ *Ethica situationis et doctrina Aquinatis*, in *Angelicum*, 35 (1958), pp. 139-158.

² «De sorte que la réponse peut être d'échanger la foi catholique contre d'autres principes, de divorcer, d'interrompre la gestation, de refuser obéissance à l'autorité compétente dans la famille, dans l'Eglise, dans l'Etat, et ainsi de suite» (Pius XII. AAS.. 44 [1952], p. 416).

Quoad postulatum positivum haec maxime notanda. Quoniam evocatur internum lumen ad praeservandum vel facile liberandum hominem a multis ethicis conflictibus aliter insolubilibus, agitur de actionibus quae aliter iudicantur aut indicandae forent ad legem essentialis naturae atque ad legem naturae existentialis, de collisione inter normam communem, v. gr. abortus directus est illicitus, atque normam individualement, v. gr. abortus directus est omnino licitus in adiunctis. Hoc indicium effertur immediatum, nempe per se notum. Sed non est notum omnibus, cum theologi catholici in nullo casu admittant abortus directi liceitatem. Erit ergo notum individuo in concreta situatione posito? Oporteret ostendere praecipue leges naturae existentialis notiores esse cuilibet prae essentialis naturae legibus—fuerunt etenim gentes quae licitum putarunt latrocinium—; et oporteret insuper demonstrare lumen illud internum et individuale nullis esse tenebris obnoxium. Ipsi, de reliquo, situationis Ethicae fautores petunt sinceritatem quasi recti iudicii condicionem. At si sinceritas sufficeret, ignorantia prorsus invincibilis daretur numquam; sunt tamen tot quaestiones inter theologos sincerissimos disputatae. Indicium prudentiae verum inest per connaturalitatem solis hominibus, praeterquam sinceris, virtuosis; sed a natura speciei vel essentiali nemo nostrum obtinuit nisi virtutum semina, a natura vero individuali vel existentiali qui natus est inclinationem ad fortitudinem non est ad mansuetudinem propensus; eius ergo iudicium, per connaturalitatem, non esset extendendum ad materiam omnis virtutis; praeterquam illa innata inclinatio corrumpi certo potest pravis habitibus. Ageretur ergo iudicium per connaturalitatem, consequens virtutem perfectam, sive acquisitam sive infusam; quae non est omnibus, quamque ipsi qui habent possunt amittere x.

1 <Du reste Nous opposons à *l'éthique de situation* trois considérations ou maximes. La première: Nous concédons que Dieu veut premièrement et toujours l'intention droite; mais celle-ci ne suffit pas. Il veut

Ad Hum.— Cum Lucretius tradat suis discipulis Ethicam situationis tamquam doctrinam moralem certam, hanc autem doctrinam S. Congr. S. Officii et ipse Summus Pontifex damnaverint, bene fecerunt Lucretii alumni illi deferentes rem ecclesiasticae auctoritati cui per singulos annos ius est professores religionis confirmandi. Nec habent quod scrupulis angustientur de delatione facta vel reparatione facienda

Alii casus.

C. II.— Evagrius tenet conscientiam esse cuiuslibet individuo priorum actuum regulam, ideoque sufficere si agens uni attendat dictamini conscientiae.

Sol.— Nisi dicamus mentem nostram esse factivam veritatis, quae non amplius definiretur per conformitatem intellectus ad res, conscientia non est regula morum suprema seu autonoma; sed conscientia vera est regula proxima per se, conscientia invincibiliter erronea est regula proxima per accidens; conscientia, contra, vincibiliter erronea non est regula proxima—conscientiam enim vincibiliter erroneam tenemur deponere prae actu, ad propria actuum principia recurrentes, seu actus ad legem, cui subiciuntur, comparantes (cf. 176).

C. III.— Alipius monet quod in vita nostra quotidiana simus prorsus solliciti de operando bono atque vitando malo, abstractione facta omnino a lege, naturali aut divina, quippe quae, cum sit extrinseca bonitati vel malitiae actionis, extranea sit oportet ipsi agenti.

aussi l'oeuvre bonne. Une autre: il n'est pas permis de faire le mal afin qu'il en résulte un bien. Mais cette éthique agit—peut-être sans s'en rendre compte—d'après le principe que la fin sanctifie les moyens. La troisième: H peut y avoir des situations, dans lesquelles l'homme, et spécialement le chrétien, ne saurait Ignorer qu'il doit sacrifier tout, même sa vie, pour sauver son âme» (Pius XII, AAS., 44 [1952], p. 417 s.).

Sol.— Sed undenam nobis innotescit quid sit bonum vel malum, Deo vel acceptum vel invisum, nisi ex lege naturali vel divina? De ipsa Decalogi revelatione, quorum praecepta sunt naturalis legis et propinquissima principiis per se notis, haec D. Thomas: «Necessarium fuit ad directionem humanae vitae habere legem divinam..., quia propter incertitudinem humani iudicii, praecipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum esse diversa iudicia, ex quibus etiam diversae et contrariae leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire posset quid sit ei agendum et quid vitandum, necessarium fuit ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat quod non potest errare» h De facto, ut ipsemet ex Iulio Caesare commemorat², fuerunt nonnullae gentes quae latrocinium reputarunt licitum, naturae quamvis legi contrarium.

- 12 C. IV.— Saltem ut homines bonum operentur in spiritu libertatis qui est filiorum, Robertus vult ut pro efformando dictamine conscientiae seipsos constituent in conspectu Dei et eligant sincere coram Deo, nihil de lege curantes.

Sol.— Imprimis filiorum seu libertatis spiritus opponitur quidem coactioni seu legi quatenus coactivae, non tamen opponitur oboedientiae seu legi ut directivae; porro lex est primario actuum norma seu regula. Sed neque Deus singulis loquitur ut ipsis innotescat patris voluntas; loquitur quidem omnibus quoad primissima praecepta naturalis legis; quoad cetera locutus est omnibus per prophetas, per Christum, per apostolos, quibus et dixit: «Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit» (Lc., 10,16). Ad quid, denique, assistentia Ecclesiae catholicae promissa quoad res morum, si quilibet obtineret a Deo revelationem immediatam?

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II. 91. 4.

a *Ibidem*.

C. V.— Quoniam ex ipso Paulo (I Tim., 1, 5) «finis prae- 13
cepti est caritas», invocat Leovigildus S. Augustini regulam:
«Dilige, et quod vis fac»¹, quasi ad hanc unam normam unus-
quisque, in concreta situatione positus, iudicare possit num
actio sit ponenda aut omittenda potius.

Sol.— Ipsum amorem esse coecum iam animadvertit D.
Thomas, ad illam sententiam Aristophanis: amantes deside-
rare ex ambobus fieri unum; quod tamen impossibile est
absque corruptione unius vel utriusque²; quapropter amor
moderandus est ad rationis dictamina, alias continget homini
id quod et equo coeco, qui tanto fortius impingit et laeditur
quanto fortius currit³. Et si quidem in praecepto duplici ca-
ritatis continentur cetera praecepta sicut conclusiones in
principiis, et ideo «qui perfecte cognosceret principia secun-
dum totam suam virtutem, non opus haberet ut ei conclu-
siones seorsum proponerentur»⁴; non tamen habemus omnes
homines perfectam penetrationem principiorum. Hinc, si
praecepta Decalogi—conclusiones proximae, videlicet—non
innotescunt omnibus (11), a fortiori conclusiones remotae.

C. VI.— Ariminius contendit Deum plus curare de bona 14
agentis intentione quam de bono actu; ideoque interesse qui-
dem agere ex intentione bona, parum autem vel nihil referre
num sit bonum malumve quod agitur.

Sol.— Quod Deus plus curet de intentione non importat
electionem et executionem neglegendas: intentio est finis,
dum electio et executio sunt mediorum. Sed nec finis obti-
netur quibuscumque mediis—sunt enim actus qui, nedum in
finem ducant, a fine abducunt—, nec voluntas agentis bona
est cum actus est malus ex obiecto—bonum enim ex omni
parte, malum ex defectu singulari—. De cetero, si recta suf-

¹ S. Augustinus, *In Ioan.*, tr. 7. n. S: PL.. 35. 2033.

² S. Thomas, *l. c.*, 28, 1, 2m.

³ Id., *ib.*, 58, 4, 3m.

Id., *ib.*, IMI, 44, 2.

ficeret intentio, omnino frustra excogitata fuit fundamentalis illa distinctio naturae existentialis et naturae essentialis, legis naturae concretæ et variabilis et legis naturae abstractæ atque immutabilis; quapropter et consequens innatum lumen pro indicandis actibus ad hanc normam duplicem: sufficeret agenti conscientia psychologica de rectitudine intentionis, nec agens indigeret speciali lumine, propriae naturae existentiali indito. Sed Ariminius videtur ita loqui ac si finis iustificaret media (128).

- 15 C. VII.— Traditionalem doctrinam morum ideo saltem reformandam Carolus existimat quod in nonnullis casibus homines ad recte indicandum de actus concreti bonitate vel malitia non pertingunt per syllogismum sed per intuitionem.

Sol.— Carolus confundere videtur syllogismum formalem atque virtuales. Concedimus quidem indicium rectum de modo agendis non perpetuo postulare primum; quin propterea ab altero non pendeat. Quo ambæ nempe præmissæ, maior seu universalis et minor sive particularis, sint magis notæ, syllogismus formalis supervacuanior erit; sed interrogatus, v. gr. cur negaverim tentationi consensum, illico respondebo: quoniam tentabar ad malum, et malum est fugiendum. Quoties rationem reddere valeo, ratiocinatio adfuit.

DE FINE ULTIMO HOMINIS

I. FINIS HONESTUS OPERANTIS

Doctrina.

Quamvis homo non teneatur, neque possit, agere semper ex deliberatione, quoties tamen deliberate agit tenetur agere propter finem sive bonum honestum : debet enim agere ad exigentias naturae propriae, rationalis nempe, et dicitur honestum quod convenit rationi. 16

Praeceptum igitur praefigendi finem honestum deliberatis actibus est praeceptum naturale, agendi conformiter ad rationem; et quidem affirmativum secundum formam, sed negativum secundum sensum—nihil agatis deliberate nisi in hunc finem—; ideoque obligat semper et pro semper.

Quin propterea dicendum sit praeceptum nimis rigorosum : non enim petimus relationem actualem in finem honestum, sed virtuales habemus sufficientem. Haec autem adest sive vi intentionis praecedentis, saltem generalis, vivendi et agendi secundum rationem, sive vi operis deliberate electi atque mandati executioni (finis enim honestus operis, nisi fine operantis deturpetur, est quoque finis deliberate agentis, et ideo qui facit eleemosynam, absque alio fine determinato, illam facit ad subveniendum pauperi).

- 17 Non ergo licet agere propter bonum dumtaxat utile ; quippe quod non est appetibile propter se, sed tantum propter aliud.

Nec licet (contra quosdam) agere propter solam delectationem etsi actus ex sua natura delectationi tantum inserviat, prout est aurium recreatio in musica, vel narium in olfactu florum.

Si operatio, contra, delectabilis ordinetur ex fine intrinseco in quid aliud praeter voluptatem, v. gr. actus comestionis vel coniugalis, quamvis nonnulli contenti sint si agens non excludat positive finem honestum in quem actus de sese tendit nec in ipsa actione inordinatum aliquid admittat, hoc ideo dicimus insufficiens quod non adstringimur tantum ad vitandum malum, verum insuper ut velimus atque faciamus bonum, et ideo ad bonitatem contrahendam voluntarium indirectum insufficiens—sic nemo laudatur quia visitat aegrotum proprii solatii causa—. Practice tamen, «quando aliquis vult, in quaerendo delectationem, moderate agere et nihil deordinatum admittit, iste ordinario non tantum non excludit positive finem honestum, sed vix posset hunc non implicite includere» | : eo etenim quod maiorem delectationem haberet, v. gr. in potu immoderato, qui moderate bibit non bibit propter solam delectationem (193n).

Nefas, denique, agere propter delectationem principaliter. Quoniam adhibuit delectationem natura ut a pluribus, melius et frequentius, opus executioni mandetur; et ideo secundum ordinem institutum divinitus non est opus propter delectationem, at delectatio propter opus. Esset ergo perversio ordinis ubi homo praecipue ob delectationem ageret. Licet attamen, ad divinam Providentiam consone—quae miscuit utile dulci—, agere non modo cum delectatione sed etiam propter delectationem ut finem intermedium sive subordinatum ulteriori fini.

Casus primus.

Cum audierit in concione quadam oportere nos agere, 18
actu aut saltem virtute, propter bonum honestum, ne opera
nostra bona mala sint malaque fiant peiora, quoniam finis
pravus confert bonis operibus malitiam primam, malis vero
malitiam superadditam, Pancratius se confessario sistit et
post plurium peccatorum declarationem haec adiungit: Per
longum tempus avarus fui, habens finem ultimum divitias,
quapropter opera bona nulla feci, quippe quae actu, saltem
virtute, erant relata in avaritiam; ob eandem insuper ratio-
nem peccata quae confessus sum malitia quoque avaritiae
foedata fuere.

Quid dicendum?

Solutio

Verum siquidem est quod postquam homo constituit fi- 19
nem suum ultimum in divitiis, quidquid velit actualiter vel
virtualiter propter divitias peccatum est: finis enim malus,
uti videbimus (148), suam malitiam communicat volitionibus
propter finem: quidquid avarus agat in finem avaritiae, huius
malitiam induit—primam aut superadditam.

Errat tamen Pancratius putans omnia quae bona malave
egit fuisse in avaritiae finem relata actu, saltem virtute.

Quoniam habitus non influit in actum omni prorsus tem- 20
pore; maxime si secum patitur inclinationes quasdam adver-
sas. Sicut igitur, etsi habitualiter noverim abstinentiae legem
et hodie incidere feriam sextam, possum cum ad mensam
accedo non cogitare de lege vel de feria et ideo reputare li-
citam carnum manducationem; sic quoque habitualiter ha-
bens divitias pro fine ultimo potest hic et nunc, puta cum
facit eleemosynam vel vacat fornicationi sumptuosae, non
attendere ad expensarum relationem cum divitiarum appe-

titu. Et sicut ipsamet concupiscentia carnum potest efficere ne ille cogitet de lege vel de feria, sic quae ad voluptatem superest penes avarum inclinatio, vel inclinatio naturalis ad virtutem penes vitiosos quoque superstes potest avarum impedire ne comparationem ullam instituat expensarum sive eleemosynae sive fornicationis cum avaritia. His in adiunctis, praestitutus finis pravus nullum habet influxum in eleemosynam vel in fornicationem : avarus non ideo facit eleemosynam vel consentit fornicationi quia vult pecunias suas augere.

21 Quid autem si avarus revera comparat eleemosynam vel fornicationem cum fine praestituto, cogitans simul de avaritia atque de eleemosyna sive fornicatione? Profecto si comparat has ad avaritiam, aut apprehendit illas impossibiles cum hac alia, et se determinans ad illarum quamlibet valedicit, pro momento saltem, avaritiae, id est substituit finem fini hucusque intento; aut apprehendit illas compossibiles cum hac, et tunc avaritia permittit eleemosynam vel fornicationem sumptuosam. In hoc postremo casu, finis praevie constitutus atque modo retentus influit in actum eleemosynae vel fornicationis, non quidem directe—quasi eleemosynam avarus daret vel fornicationi vacaret ut ditescat—, sed indirecte tantum, instar permittentis sive non prohibentis—eleemosyna et fornicatio non impediunt, in casu, optatum augmentum divitiarum.

22 Ergo non omnia quae avarus fecit toto illo tempore quo divitias habuit habitualiter finem suum ultimum facta fuerunt, actu vel virtute, ob divitias augendas; non igitur fuerunt omnia mala, nec quae mala exstiterunt habent avaritiae malitiam superadditam.

A lii casus.

C. II.— Titius, mercator, cum audiret damnari actus 23 propter finem utilem exercitos, putat se peccasse quod iam a multo tempore vacat negotiationi ob solam intentionem lucrandi.

Sol.— Etsi lucrum, quem ad modum pecunia, sit bonum utile, Titius probabiliter ordinavit lucrum in finem aliquem honestum, subventionem vitae, familiae, societatis, pauperum, ideoque non amabat lucrum propter se, nec ideo vacavit negotiationi ob solam intentionem lucrandi. Si tamen lucrum non ordinavit in honestum finem, tunc quidem peccavit avaritia seu inordinato appetitu divitiarum. Porro avaritia, si qua opponitur iustitiae est peccatum mortale ex genere, qua uni opponitur liberalitati est dumtaxat peccatum veniale h

C. III.— A peccato tum mortali tum veniali se Basilius 24 immunem putat ob unam quantumcumque delectationem comedat et bibat atque vacet coniugali copulae.

Sol.— Tota quidem via Basilius errat, ut constat ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI: «Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini. Opus coniugii ob solani voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali» (Denz., 1158 s.).

C. IV.— Valentinus se confessario accusat quod quaerens 25

1 «Immoderatus appetitus lucri in infinitum, ut contingit in negotiatoribus absolute, non est mortale peccatum ex suo genere» (Caietanus, in 118, a. 4, n. 1). «Quicumque appetitus insurgat, etiam cum volitione in voluntate, dummodo sit intra terminos iustitiae et non limites illius excedat, ita quod non concupiscat rem alienam animo capiendi illam iniuste, numquam est peccatum nisi veniale et sic ille appetitus non opponitur iustitiae, quia iustitiae non opponitur nisi iniustitia» (Victoria, in II-II, 118, 3. n. 2, ed. Beltrân de Heredia).

delectationem coniugalis copulae excludit finem honestum in quem coniugalis copula naturaliter tendit. Confessarius autem dubitat de huius peccati gravitate.

Sol.— Distinguamus oportet. Si hunc finem honestum Valentinus excludat tantummodo affective, actus non esset per se graviter pravus, cum inordinatus usus rei non illicitae gravem inordinationem innuat nullatenus; si effective quoque, ita videlicet ut agens velit impedire finem ad quem sua sponte operatio ordinatur, tunc certo potest actus induere malitiam gravem | Unde copula coniugalis ob solam voluptatem quaesita est peccatum leve; mortale, e contra, copula onanistica, etiam inter coniuges.

26 C. V.— Cum difficile sit debitum servare moderamen in corporalibus delectationibus, Severinus, ut iuvenes quorum curam gerit ab immoderatis delectationibus longe amoveat, corporales cunctas delectationes malas esse continuo praedicat.

Sol.— Severinus noster imitatur agendi rationem Stoicorum, de quibus D. Thomas: «Delectationes corporales arbitrantur dicendas omnes esse malas, ut sic homines, qui ad delectationes immoderatas sunt proni, a delectationibus se retrahentes, ad medium virtutis perveniant. Sed haec existimatio non fuit conveniens. Cum enim nullus possit vivere sine aliqua sensibili et corporali delectatione, si illi qui docent omnes delectationes esse malas, deprehendantur aliquas delectationes suscipere; magis homines ad delectationes erunt proclives exemplo operum, verborum doctrina praetermissa. In operationibus enim et passionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, magis movent exempla quam verba» 2.

| Merkelbach, *l. c.*, 158.

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 34, 1.

II. ORDINATIO OPERUM IN DEUM

Doctrina.

Disputatum fuit et adhuc disputatur num verba Aposto- 27
li: «Sive ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis :
omnia in gloriam Dei facite» (I Cor., 10, 31), praeceptiva sint
aut consilium potius involvant.

Pro Angelico Doctore relata S. Pauli verba, si intelle-
gantur negative—nihil contra Deum faciatis—, exprimunt
praeceptum. Si intellegantur vero affirmative—omnia facite
propter Deum— distinguamus oportet ordinationem virtua-
lem, et sic est praeceptum; et ordinationem actualem. Haec,
si sumatur omnium distributive—quaecumque agatis—, ca-
dit sub consilio; si omnium, e contra, collective—cuncta quae
agitis—, neque praecipitur neque suadetur, cum impossibilis
sit in via et reservetur patriae h

Virtualis igitur relatio omnium nostrorum operum in
Deum cadit, pro D. Thoma, sub praecepto. Hoc autem prae-
ceptum, quamvis affirmativum secundum formam, obligat
pro semper, cum contineat universalitatem actuum—omnes
actus deliberatos.

Et pro nonnullis etiam Thomistarum agitur praeceptum 28
naturale, huic alteri aequipollens : Agite semper ad prae-
viam neque retractatam intentionem vivendi ad rationis normam;
nihil igitur otiose, nihil sine dictamine rationis agite. Aposto-
lus ergo diceret : operamini opera bona. Quo quidem sensu
communis tenet sententia theologorum ad actus bonitatem
non requiri expressam in Deum tendentiam, at sufficere im-

« S. Thomas, in 2 Sent., d. -10. q.], a. 5. 7m.

plicitam, «quatenus omne bonum honestum participatum ex natura sua ordinatur et tendit ad bonum supremum» x.

Sed, praeterquam videtur inconueniens quod S. Paulus praedictis verbis id unum exigat a Christianis—ut faciant videlicet in gloriam Dei ea quae secundum se, absque intentione superaddita, ordinantur et tendunt in divinam gloriam, et ut faciant opera naturaliter bona potius quam supernaturaliter meritoria—, D. Thomas relationem operum quam Apostolus exigit attribuit caritati, cuius est ceterarum virtutum actus ordinare in finem ipsi proprium, gloriam Dei nempe. Sicut propterea caritatis praeceptum est praeceptum divino-positivum, sic et praeceptum quod modo agitur.

- 29 Ad quaestionem autem : quoties haec intentio renovanda sit, D. Thomas respondet : «Cum aliquis se ipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus quae propter se ipsum facit manet intentio ultimi finis, qui Deus est; unde in omnibus mereri potest, si caritatem habeat» 1. Quapropter : «Si quaeratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quaerere quando oportet habitum caritatis exire in actum ; quia quandocumque habitus caritatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum quae ad ipsum ordinantur ut bona sibi» 3.

Si quis igitur actum hunc omittat, peccat omissione momento quo praeceptum urget; alia tamen opera quae tunc vel postea facit non propterea dicenda sunt peccata, cum non detur aliud praeceptum ipsa ordinandi in Deum 4.

1 Merkei.bach, *Th. Mor.*, I, 159, ed. 3.

3 S. Thomas, *Q. D. de caritate*, a. 11. 2m.

3 Id., *in 2 Sent.*, d. 40, q. 1. a. 5, 6m.

* Ideo urgente praecepto de parentum honoratione. si quis hoc impleat, non peccat, quantumvis honorem praestitum non ordinet tunc in Deum. Erit quidem ordinatus ex actu caritatis praecedente; si is autem nullus, actio illa, non deturpata ex fine aut circumstantiis, manet bona et apta adimplenti IV decalogi praecepti.

Sed intentionis renovatio frequentior, nullibi praecepta, 30
cedit sub consilio: prout melior est relatio operum actualis
quam virtualis, sic relatio proxime facta plus influit in opus
quam antiqua. De cetero, renovationes singulae sunt totidem
caritatis actus, unde et caritas augeri potest et sic donare
opera ceterarum virtutum excellentiori merito (32n).

Casus primus.

Cum audisset a praedicatoro omnia opera bona referenda 31
esse in gloriam Dei, Constantinus ad confessarii pedes pro-
volutus se accusat quod saepius hanc neglexit intentionem
renovare prae opere, immo saepe vel initio diei, nonnullis
insuper dominicis diebus.

Solutio

Qua frequentia actus caritatis, quo omnia referuntur in 32
Deum, eliciendus sit non omnino constat. Constat quidem non
sufficere ipsum semel in vita elicere (Denz., 1155), et impro-
babile esse non urgere praeceptum singulis quinquenniis
(Denz., 1156). Sed theologorum alii petunt renovationem sin-
gulis annis, alii ter vel quater in anno, alii singulis mensibus
et alii singulis diebus dominicis vel festis de praecepto.

Ideo Constantinus, in sententia quoque rigidiori, non est
inquietandus, quippe qui intentionem renovavit fere singu-
lis diebus dominicis et frequenter vel initio diei immo inter-
dum prae opere h

* Opportune Caietanus: «Quoniam... quilibet habens caritatem ex
hoc ipso quod est in caritate, diligit procul dubio Deum ex todo corde, ha-
bens ipsum pro ultimo fine, ac per hoc sui ipsius, et consequenter suorum
omnium fine, alioquin in caritate non esset: idcirco non oportet pias
mentes scrupulo agitari quomodo praeceptum impleant ut omnia in glo-
riam Dei faciant» (in I-II, q. 100, a. 10).

Est tamen consulendus ut maiori qua frequentia possit, intentionem renovet in futuro h

Alii casus.

- 33 C. II.— Homobonus, mercator, cum ad spiritualia exercitia peragenda in monasterium se recepisset, generalem confessionem totius vitae putat sibi necessariam, quia nunc tantummodo didicit opera omnia esse referenda in Dei gloriam ne sint mala, de quo tamen numquam cogitavit et ideo existimat se in omnibus peccasse.

Sol.— Homobonus non peccavit etsi actu non cogitaverit opera sua in Deum referre. Nam ut actio vacet a culpa non est necesse quod eliciatur ex motivo caritatis (cum et actus aliarum virtutum sint boni), aut ex motivo supernaturali (nam vel opera infidelium non sunt omnia peccata). Sic ad casum DairOlio¹.

- 34 C. III.— Sebastianus scrupulosus, ut totus Deo viveret et Dei gloriam in omnibus quaereret, statuit suas actiones actu Deo offerre, antequam quidquam ageret. Hinc brevi factum est, ut graviter capite infirmus in amentium nosocomio moreretur.

Sol.— Ad casum respondet Bucceroni: Decipitur Sebastianus, gravi suo detrimento corporis et animae. Ut quis totus Deo vivat et in omnibus Dei gloriam quaerat, non est necessaria actualis omnium operum relatio in Deum. Sufficit quod quis honestam intendat actionem, et honeste agat.

¹ «Usus renovandi intentionem v. g. per cotidianas oblationes Deo factas universae actionis nostrae, has utilitates continet: ipsa oblatio est in se laudabilis actus religionis vel caritatis; facilius, per eum. inter agendum fovetur frequens memoria intentionis religionis, fidei, caritatis, quibus honestas bonorum operum augetur; voluntatem confirmat in bonis propositis: haec, ut sumus homines, perpetua efficacia carent ac proin renovanda sunt» (Vermeersch, *Th. \tor.*, I. 150. ed. 1926).

^a Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I. n. 19.

Sufficit quod quis singulis diebus mane Deo offerat omnes suas actiones, decurrente die, faciendas l.

C. IV.— Onuphrius, confessarius monialium, eas continuo 35 monet intentionem abunde renovari si cuiuslibet diei initio omnia quae bona perfuncturae sunt ordinent in divinam gloriam, et ipsas consulto dehortatur ne de frequentiori renovatione sint sollicitae.

Sol.— Bene facit Onuphrius dum monet intentione renovata initio cuiuslibet diei abunde moniales satisfacere praecipto omnia in Dei gloriam referendi. Quoniam tamen renovatio frequentior cadit sub consilio, male agit dum ab hac renovatione dehortatur cum fideles in genere, tum moniales praecipue, votis liberatas a curis temporalibus ut sollicitae sint de iis quae ad Dominum pertinent (I Cor., 7, 32) seu ut habeant multo faciliorem caritatis actum assiduum.

C. V.— Si omnia opera bona iusti dicuntur virtualiter re- 36 lata in finem ultimum Deum, oporteret pariter, arguit Reginaldus, peccatoris opera quaecumque, etsi obiective leviter tantum peccaminosa, vel indifferentia, quinimmo et bona, praedicare gravia peccata, cum sint virtualiter relata in finem ultimum creaturam; sed hoc supra (18 ss.) negavimus; ergo nec illud admittendum.

Sol.— Virtualis relatio operum in finem potest dupliciter intellegi, prouti Vitoria 2 animadvertit.

Primo, ut opera imperentur a tali fine, v. gr. cum iustus, habens Deum finem ultimum, ideo honorat parentes ut placeat Deo; vel cum avarus, habens finem ultimum divitias, ideo honorat parentes vel mendacium profert ut divitiis nempe cumuletur. Quo quidem relationis sensu, honor parentibus exhibitus obtinet penes iustum bonitatem caritatis, prae-

l Bucceroni, *Casus Conse.*, I, 8. 2, ed. 1913.

« Vitoria, in *II-II*, 10, 4. n. 13. ed. Beltran de Heredia.

terquam pietatis; penes avarum autem, tum honor parentibus exhibitus tum mendacium prolatum gravem induit malitiam avaritiae.

Secundo, quod opera contineantur dumtaxat sub fine illo. Et sic optimo iure dicimus bonum universale continere particularia bona, quapropter finem Deum continere bonum quod est in parentum honoratione, penes iustum qui, dum parentes honorat, de Deo non cogitat. Quin propterea dicere debeamus aut malum continere bonum, aut malum particulare omnia cetera continere particularia mala, ideoque finem pravum avaritiae continere sive parentum honorationem sive mendacium penes avarum qui parentes honorans vel mendacium proferens de divitiis cogitat nullatenus.

Neganda est ergo paritas a Reginaldo constituta.

De cetero proscriptae fuerunt a S. Pio V propositiones: «Omnia opera infidelium sunt peccata» (Denz., 1025), et: «In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati» (Denz., 1040).

DE ACTIBUS HUMANIS

VIS SEU VIOLENTIA

Doctrina.

À[^]oluntario—quod procedit a principio intrinseco cum co- 37
gnitione finis—opponitur privative *non-voluntariuni*—quod,
physice vel moraliter non venit effectus voluntatis—atque
contrarie *involuntarium*—quod accidit contra voluntatem.

Quoniam vis sive violentia sive coactio | dicunt motionem
impressam ab extrinseco, contranitente seu renitente qui
hanc motionem patitur, violentia, si datur et pro quanto da-
tur, causât involuntarium.

Violentia dicitur absoluta si is cui infertur nihil omnino
confert sed resistit, e contra, quantum potest et debet; di-
citur vero secundum quid, si patiens confert aliquid sive non
resistit quantum potest et debet.

Actus elicitus voluntate—quos ipsa producit inmediate, 38
sine intermedio alius potentiae—non subsunt violentiae;
sunt ergo prorsus voluntarii et ideo imputabiles agenti. Ac-
tus vero imperati voluntate vel potius imperabiles—quos alia

| Vis seu violentia patet prae coactione, quae proprie dicitur in so-
lis cognoscentibus; sic lapis proicitur sursum violenter, quin ideo cogatur
ascendere.

potentia elicit nata moveri voluntate—subiacent violentiae ; non quidem quasi actus voluntate imperatus sit in sensu composito violentus, sed quod in sensu diviso tum actus quem voluntas imperat potest per violentiam impediri—v. gr. homo vult deambulare, vi tamen impeditur—, tum actus quem voluntas imperare potest mandatur executioni sine voluntatis imperio—v. gr. homo non vult aliquo ire illucque vi trahitur.

- 39 Actus imperati, externi vel interni, sunt plene involuntarii nec imputantur illi qui vim patitur, si causentur per violentiam absolutam, passo scilicet renitente, et interne et externe, quantum potuit ac debuit. Ad violentum enim requiritur resistentia, id est: *a)* voluntatis repugnantia interior, cum non simpliciter patitur qui vult pati—etsi ille qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati—; quapropter et *b)* resistentia externa, nisi haec ipsamet impediatur vi; *c)* non tamen resistentia illicita—ideoque vetita—; *d)* nec resistentia licita non debita, nam resistentia externa cadit sub praecepto affirmativo nec ideo urget ad adhibenda media extraordinaria, immo neque ordinaria ubi prudenter praevideatur resistentia inefficax—media enim non urgent nisi propter finem assequendum, ideoque propter finem assequibilem 1.

Actus, contra, imperati, si vi causentur nec eis patiens consentiat neque tamen resistat quantum potest, sunt quidem voluntarii quoties resistentia aut maior resistentia fuerit debita; alias neque voluntarii sunt neque voliti, sed permissi id est non impediti ab eo qui potens impedire non tenetur.

Actus imperati per violentiam secundum quid causati

» Resistentia tamen inefficax ad impediendum unum e violentiae consecrariis potest esse efficax ad impediendum aliud vel alia; sic resistentia inutilis ad vitandum stuprum, potest esse utilissima ad cavendum sive scandalum alienum sive consensum proprium.

voluntarium, quod non totum auferunt, sic deminuunt ut imputentur solummodo partialiter illi qui vim patitur.

Casus primus.

Non sine lacrimis narrat Elvidia confessario se iam quater 40 ter fuisse oppressam ab apothecae domino cui famulatur; semper quidem opposuit totis viribus resistentiam, ille tamen invaluit. Ideo interrogat utrum, si denuo ipsam opprimere tentaverit, possit et teneatur herum pugione mutilare vel occidere.

Solutio

Bene fecit Elvidia dum totis viribus restitit hero luxu- 41 rioso; quandiu hanc plenam resistentiam adhibuit, copula fuit ipsi omnino involuntaria.

Quoad futurum, de quo interrogat, remedium, conve- 42 niunt quidem Auctores licitam esse et debitam corporalem pugnam; sed alii non permittunt oppressorem occidere, quod pudicitia sit bonum inferioris ordinis quam vita humana; et alii ad id non obligant, quia mutilatio et, a fortiori, occisio extraordinarium veniunt remedium 1. Sufficit ergo atque requiritur: *a*) interna resistentia; *b*) externa resistentia possibilis nec inutilis, clamoribus utputa³, pro copula impedi-

1 Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de actibus humanis, diss. 1, art. 6.

2 WOUTERS, *Th. Mor.*, I, 743 s.

3 «An mulier oppressa teneatur, non solum oppressori resistere, verum etiam clamare, si necessarium sit ad vitandam copulam aut impudicos cetus? Resp. Alii affirmant, si sit spes subsidii impetrandi... Sed valde probabiliter negatur, si ipsa quantum potest resistat, et clamando periculum ei immineat notabilis damni, infamiae, vel nimiae verecundiae: excipe, si adsit proximum consentiendi periculum... Nihilominus prior sententia ut tutior consulenda est» (Afrtnys-Damen, *Th. Mor.*, I. G05, cd. 1939).

da, pro consensu vitando, pro scandalo ipsius heri cavendo, pro futuris huius conatibus frangendis; non tamen necessario porrecta usque ad heri occisionem vel mutilationem; necessario licet protracta ad exprobrationem facinoris, obtestationem facinus attentantis, ostensionem doloris et horroris intimi, quinimmo ad corporalem pugnam, pugnis, alapis, motibusque praecipue corporis adversis copulae.

Quod maxime igitur vitandum instat est ne oppressa Elvidia consensum delectationi tribuat interiorem; hoc autem non esse moraliter impossibile, ex praeterita constat experientia; ipsamet, de cetero, cogitatio de vi quae sibi infertur novam reddet denegationem facilem.

Desertio quidem apothecae Elvidiae est commendanda. Quandiu haec nequeat attamen mandari executioni, Elvidia, prout admonet Ter Haar, se muniat oratione ac frequentia sacramentorum, fugiat familiaritatem cum hero, vitet pro posse eius aspectum, si cum eo loquendum sit, id faciat paucis atque frigidis verbis, omnia adhibeat quae facile excogitabit media ad heri sympathiam minuendam et evertendam ¹.

Alii casus.

- 43 C. II.— Apud Ramirum confessarium excusant consensum datum delectationi tum Sempronius tum Bertha. Ille quod consensit pravae cogitationi ob tentationem vehementem et imaginationem plus solito vividam. Haec quod interius quidem consensit delectationi quae comitata est copulam sed restitit exterius stupratori² quantum physice potuit.

Sol.— Nequit inde Sempronius excusari a peccato, quo-

¹ Ter Haar, *De occasionariis et recidivis*, n. 142, ed. 1939.

² Stuprum audiebat apud veteres deflorationem virginis illicitam; audit i-pud modernos tum deflorationem virginis violentam, tum copulam cum muliere qualibet invita. Modernos imitantes, accipimus stuprum pro copula cum invita, virgine aut corrupta.

niam actus agitur interior voluntatis qui non subiacet violentiae. Neque Bertha excusatur, nam etsi copula fuerit violenta, consensus in eius delectationem fuit voluntarius.

C. III.— Florentina, nupta femina, vi a Sigismundo oppressa, 44
primitur. Inde natus est puer qui enutritur et educatur, prouti filii legitimi, expensis mariti. Post annos dubium occurrit Florentinae an teneatur ipsa, e bonis suis paraphernalibus, restitutionem pro his expensis facere marito; est autem ratio dubii, quia etsi vi oppressa, cui restitit exterius quantum potuit, consensit tamen interne delectationi comitanti copulam.

Sol.— Florentina peccavit quidem contra castitatem, interius consentiens delectationi comitanti copulam; sed non tenetur ad restitutionem, cum filius non sit effectus delectationis volitae sed copulae involuntariae; consensus in delectationem, aliis verbis, non est causa cur Florentina filium conceperit, neque propterea causa damni quod maritus sustinuit inde; huius damni causa est unus Sigismundus, qui propterea solus ad restitutionem obligatur.

C. IV.— Martia, optima puella, cum futurum timeat 45
stuprum, petit a confessario utrum in casu sibi liceat se habere negative seu permissive. Quae responsio a confessario danda?

Sol.— Sub vi dumtaxat (cf. 67), prouti iam Mare animadvertit, virgo «non potest se habere negative seu permissive, sed tenetur resistere, tum interne, ne voluptati consentiat, tum externe, resistentia saltem ordinaria, vim scilicet vi repellendo»

C. V.— Constantina nupta viro deterrimo qui copulam 46

¹ Marc, *Instit. Mor.*, I, 778, ed. 1927.

percupit condomisticam, a confessario sciscitatur quomodo se gerat si quando maritus vim adhibeat. Quodnam responsum est reddendum?

Sol.— Sub vi tantum a marito illata (cf. G8), uxor tenetur: *a)* interius repugnare; *b)* opponere resistentiam physice possibilem non inutilem pro copula impedienda, pro consensu vitando, pro scandalo ipsius viri cavendo, pro futuris huius conatibus frangendis; *c)* resistentiam, inquam, licitam moraliter; *d)* non necessario porrectam usque ad viri occisionem vel mutilationem; *e)* necessario tamen productam ad, verbis atque vultu, exprobrationem facinoris, obtestationem facinus attentantis, ostensionem doloris et horroris intimi, quinimmo ad corporalem pugnam, pugnis, alapis, motibusque praecipue corporis adversis copulae x.

II. METUS

Doctrina.

47 Prouti vis aliis potentiis infertur physice, sic metus soli voluntati moraliter, per modum scilicet obiecti cogniti, seu per propositionem periculi.

Metus definitur: mentis trepidatio instantis vel futuri

! Ad quaesita: <1. Utrum mulier, casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, ad positivam resistentiam teneatur? 2. Si negative, utrum sufficient ad resistentiam passivam ex parte mulieris co-honestandam rationes aequae graves ac pro onanismo naturali (sine instrumento), vel potius omnino necessariae sint rationes pergravissimae? 3. Utrum, ut tutiori tramite tota haec materia evolvatur et edoceatur, vir talibus utens instrumentis oppressori vere debeat aequiparari, cui proinde mulier eam resistentiam opponere debeat quam virgo invasori?», S. Paenitentiaria respondit, die 3 iunii 1916: «Ad primum: Affirmative. Ad secundum: Provisum in primo. Ad tertium: Affirmative» (Bat zili., *Decisiones S. Sedis de usu et abusu matrimonii*, p. 30, ed. 1937).

Omitto clamores quia de uxore agitur, quibus periclitaretur familiae fama, in ipsammet redundans.

periculi causa—periculum immineat ei qui timet aut personae coniunctae—. Innuit igitur animi inquietudinem ob malum quod nondum praesens est, sed tamen imminet.

Ex parte mali sive periculi imminenti, metus distinguitur: gravis, si periculum sit proximum damni notabilis, sive absolute seu obiective, puta mortis, exilii—tunc dicitur metus cadens in constantem virum—, sive relative seu subjective penes timentem, pusillanimem—quoad parvulum, feminam vel senem—; levis, e contra, si periculum sit aut damni notabilis remotum aut proximum quidem sed exigui damni. Metus reverentialis—filii nempe ad parentes, pupilli ad tutorem, uxoris ad maritum, subditi ad superiores—censetur per se levis, nisi accedant graves minae vel diuturna vexatio aut indignatio.

Ex parte causae a qua malum imminet, metus dividitur: ab intrinseco, si malum immineat a causa tum intrinseca tum naturali—v. gr. mors ex morbo, ex naufragio—; ab extrinseco, si malum immineat a causa extrinseca libera, incussus sit iuste—puta a iudice—[^]aut iniuste—puta a latrone—, sive ad extorquendum consensum necessarium contractui, voto etc.—v. gr. si cui dicitur: aut nobis aut te occido—, sive ad alium finem quemcumque.

Ex parte influxus quem obtinet necne in actum, metus alius est antecedens, qui praecedit actum quem causât, v. gr. in casu viatoris qui latroni pecuniam dat ut vitam servet—tunc actus ponitur *ex* metu—, et alius concomitans, qui actum comitatur quem non causât, v. gr. dum latro tunc cum spoliat viatorem timet ne a custodibus ordinis publici deprehendatur—tunc actus ponitur *cum* metu.

Et metus quidem antecedens, nisi totaliter auferat rationis usum, causât voluntarium simpliciter, id est hic et nunc—viator qui pecuniam tradit latroni ne occidatur, habet traditionem voluntariam in his adiunctis, cum deliberate eligat

pecuniam dare potius quam vitam perdere—; at simul, ut in pluribus, involuntarium secundum quid, quandiu scilicet actus ex metu fit cum tristitia et repugnantia voluntatis—sic cum dolet viator in talibus versari circumstantiis in quibus nequeat, praeter vitam, et pecuniam servare 1. Metus, contra, concomitans est signum maioris voluntatis: ea enim quae aguntur non obstante metu alicuius damni pro tanto apparent magis voluntaria pro quanto voluntas id agendi vincit timorem ipsum—v. gr. voluntas furandi vincit penes latronem metum carceris.

- 50 Metus antecedens, si deliberationem impediat omnem, excusat a peccato; si deliberationem tantum perfectam, excusat a mortali. At etiam ibi ubi non excusat a mortali, demittit peccati gravitatem, cum turbet tranquillitatem deliberationis atque indifferentiam electionis, praeterquam opus quod ex metu fit cum voluntatis fit, uti plurimum, repugnantia.

Metus antecedens, quantumvis gravis, non excusat ab observantia legis ubi actio sit mala intrinsece aut vergat in contemptum sive religionis sive auctoritatis, vel in damnum commune. In aliis autem casibus metus antecedens gravis excusat: *a*) a lege naturali negativa, quoties eius materia constituatur circumstantiis extra eiusdem terminos—sic in extrema necessitate, cum omnia fiunt communia, non urget negativum non furandi praeceptum—; *b*) a lege naturali af-

«Aliquando non est Involuntarium secundum quid, si metus etiam affectum ad bonum minus oppositum excludit, et tunc fit ex metu voluntarium purum, non mixtum involuntario. Aliae enim rationes praeter metum mali vitandi accedere possunt propter quod actio per se amabilis fit, et ipse metus potest esse motivum quod postulat ut affectus inefficax ad oppositum excludatur. Uti patet de peccatore qui dolet de peccatis ob timorem inferni, sed tamen affectum ad peccata non retinet (Cone. Trid., sess. 14, c. 4), et similiter nobilis fugiens furtum ex metu infamiae non necessario dicit: si non esset infamia, furarer» (Merkelbach, *Th. Mor.*, I 73. ed. 3)

firmativa, quippe quae non obligat pro semper—sic ob periculum grave excusatur quis a facienda correptione fraterna—; c) a lege divino positiva—sic lex de integritate materiali confessionis non obligat si sigilli violatio pertimescitur, neque vetabat Davidem esurientem vesci panibus propositionis—; d) a lege humana, denique, cum ecclesiastica tum civili, quae non urget, ut plurimum, cum incommodo gravi observantiae legis extrinseco—sic lex canonica de sacro audiendo et a servilibus abstinendo non urget cum periculo vitae vel fortunae.

Ex positiva dispositione legis humanae, actus quidam atque contractus initi ex metu gravi sunt ipso facto irriti aut saltem irritabiles; de his tamen opportunior sermo in aliis tractatibus.

Ex positiva quoque dispositione supremi legislatoris ecclesiastici, haec maxime notanda quoad delicta poenasque: Can. 2205, § 2: «Metus quoque gravis, etiam relative tantum, necessitas, imo et grave incommodum \ plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt. § 3. Si vero actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum, causae, de quibus in § 2, delicti imputabilitatem minuunt

• **““**

* In hoc canone *metus* intellegitur metus ab extrinseco, id est a causa libera, quae certum malum minatur si quis aliud faciat—nam metus ab intrinseco reducitur ad necessitatem vel grave incommodum—; intellegitur insuper metus iniuste incussus, nam metus impellens ad violationem legis poenalis ex parte metum incutientis numquam potest esse iustus; intellegitur, denique, metus gravis, absolute aut saltem relative. *Necessitas* significare videtur praesentiam periculi vel imminentiam mali quod nec oritur (saltem directe) a causa libera nec superari vel vitari potest lege inviolata; intellegitur autem necessitas gravis, in aua[m] nuis so snonto non coniecerit. atque attenditur non modo ipsius agentis verum et agenti proximorum immo extraneorum. *Incommodum*, quatenus a metu atque necessitate distinctum, ipsaque necessitate minus (ut apparet ex particula «imo» canonis), pro speciali stat difficultate per accidens coniuncta cum legis observantia; hoc autem incommodum oportet grave sit, aestimandum pro legis gravitate.

quidem, sed non auferunt» Can. 2218, § 2: «Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur»; Can. 2229: «§ 2. Si lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerario, consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae. § 3. Si lex verba illa non habeat..., 3.º Metus gravis, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a poenis latae sententiae nullatenus eximit» 2.

Casus primus.

52 Eustorgius parochus liturgica praescripta, praesertim quod ad sacras processiones attinet, non raro violare cogitur, ne fideles parum in religione instructos infensos habeat. Ob eandem causam semel decretum dioecesanum cuius violationi suspensionis poena latae sententiae adnexa erat, ausus est infringere, ratus leges Ecclesiae non obligare cum gravi incommodo. Haec, dum in Urbe peregrinationis causa invenitur, confessario romano exponit, ab eodem indicium atque consilium expostulans.

• • •

1 «Nisi ex adiunctis aliud appareat, quae dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus praecepti cui poenalis sanctio adnexa sit» (can. 2195, § 2).

3 Ad dubium: «An metus gravis a poenis latae sententiae eximat si delictum, quamvis intrinsece malum et graviter culpabile, non vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis, vel in publicum animarum damnum, ad normam can. 2229, § 3, n. 3», Commissio Pontif. respondit (30 decembris 1937): «Affirmative» (AAS, 30 [1938], p. 73).

Solutio

Praenotemus liturgica praescripta seu rubricas quae occurrunt in missali et libris ritualibus, si quidem aliquas praeceptivas esse, aliquas non nisi directivas iure aestimari \ De 53
 ipsis rubricis praeceptivis haec Prümmer breviter: «Generatim dici potest omnes rubricas habere rationem legis positivae, ac proinde graviter vel leviter obligare in conscientia pro earum gravitate materiae. Sicuti autem quaelibet lex positiva non obligat cum magno incommodo, ita nec obligant rubricae (si sint accidentales) in administratione sacramentorum praescriptae, si inde magnum incommodum oriatur» 13

1 Hanc opinionem esse *communissimam* inter moralistas, *communem* inter liturgistas dicunt Le Ravasseur-Haegy-Stercky in *Man. de liturgie et Cérémonial*, ed. 1935, I. n. 12. Auctoritates plurimas invenire quis potest in *II Monitore Ecclesiastico* 14 (1902), p. 508. ss., ubi et haec opportune simul atque sapienter adiciuntur quod ad rubricas attinet *directivas*: «Non sono queste dette cosî quasi che fosse in arbitrio di ciascuno l'averle in non cale: sono regole venerande, proposte dalla sapienza della S. Chiesa, come quelle che contribuiscono al culto che si deve a Dio e ad alia edificazione dei fedeli. Vogliono perciô esattamente e religiosamente osservarsi. E benchè di per sè non inducono colpa veruna, pur la loro trasgressione raro è che non sia colpevole o per l'accidia e la negligenza dei sacri ministri, o pel poco conto in cui si tengono le norme della Chiesa, o per l'ammirazione e lo scandalo dei fedeli, o soprattutto quando sia intervenuto il precetto del Vescovo, il quale se non ha potestà di cambiare le Rubriche, ha tutta la potestà per di curarne l'adempimento» (p. 519).

3 Prümmer, *Th. Mor.*, III, 70, ed. 1928: Ad huius auctoris solidam sententiam, graviter peccat sacerdos qui in baptismo sollemni omitteret unctionem chrismatis, insufflationem, salivae et salis impositionem (l. c. n. 140); qui mutationem notabilem induceret in Canone Missae (ib., n. 304); qui extremam unctionem conferens omitteret orationes antecederet et consequenter recitandas (ib., n. 584). De valore decretorum S. C. Rituum distinxerunt pariter liturgistae illa quae directiva et illa quae praeceptiva veniunt: «Quae sunt nuda declarationes seu interpretationes rubricarum, sunt praeceptiva, si versentur circa rubricam praeceptivam: et directiva, si circa rubricam directivam, nisi nova obligatio addatur: inducunt enim eandem obligationem, quam induxit rubrica vel materia circa quam dantur... Decreta quae sunt in forma rigurosa

Quaedam, ut liquet, e praescriptis liturgicis moderantur processiones, habendas nempe atque qua decet religiosum cultum disponendas; fiunt etenim «ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum» (can. 1290, § 1); hinc mandatum Codicis: «Curent Ordinarii ut sacrae processiones, extirpatis, si qui sint, malis usibus, ordinate procedant eaque modestia ac reverentia ab omnibus perficiantur quae piis ac religiosis huiusmodi actibus maxime convenit»

His praemissis, ad casum perveniamus.

- 54 In quo quidem multa desiderantur, prout exponitur. Licet dicatur etenim Eustorgium, ideo quod timeat populi offensionem, violare liturgica praecepta, praesertim quae ad sacras processiones attinent, ex pari quoque timore decretum dioecesanum violasse cui poena suspensionis adnexa erat, nec malum quod Eustorgius timebat aperitur satis, nec relatio panditur quae esset inter decretum dioecesanum et rubricas. nec huius decreti dioecesani tenor affertur. Tenor at tamen necessarius est ad iudicandum num delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis, prout requiritur ad poenam incurrendam ex can. 2228. Relatio quoque prae oculis habenda decreti ad liturgica praescripta, ut inde sciamus num praecise decretum propterea latum fuerit quo sacrae liturgiae muniatur observantia in iis rerum adiunctis in quibus Eustorgius aestimabat rubricas non urgere: competit enim locorum Ordinariis non modo

decreti, seu quae habent aliquam mandati clausulam, ut *servari mandavit*, etc., sunt praeceptiva et obligant in utroque foro» (De Herdt, *S. Liturgiae praxis*, I, 7, ed. 1870).

1 Can. 1295. Mali usus in processionibus extirpandi sunt refectiunculae certo et potationes, saltationes et confabulationes, quibus populi vulgus praecipue indulget; de his abusibus egit S. Rituum Congr. frequenter. Sic etiam fuit prohibitus usus currus triumphalis equis tracti ad processionaliter deferendum SS. Sacramentum vel statuum B. Virginis vel exuvias sanctorum (AAS 16 [1924], p. 103. s.).

advigilare ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur (can. 1261), sed et suspendere, pro reatus diversa gravitate, maiores illos clericos qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter neglegant et moniti sese non emendaverint (can. 2378).

Damnum tandem oportet innotescat, ut eius perpendamus gravitatem, quia non omnes fidelium offensiones grave malum important. Ad dubium etenim : «Utrum periculum offensionis, vulgo *malum ore*, ex parte fidelium et cleri, sit, ad normam can. 1215, gravis causa quae excuset a transferendis cadaveribus fidelium e loco in quo reperiuntur ad ecclesiam ubi funus persolvatur», Pontif. Commissio (16 oct. 1919) respondit: «Negative, et consuetudinem non transferendi cadavera fidelium antequam tumultentur, e loco in quo reperiuntur in ecclesiam, esse reprobendam» \ Si haec igitur offensio fuit quam timebat Eustorgius, abfuit metus absolute gravis; a fortiori si minor imminebat fidelium displicentia. Non ergo eximitur Eustorgius ab incurrenda suspensionis poena, nisi ob metum relative gravem, qui esset in foro externo probandus 2.

At demus offensionem quam ipse timet malum grave im-

* AAS 11 (1919), p. 479.

a Ignorantia qua Eustorgius forsitan ducitur ut grave existimet malum populi sibi imminens id quod dicitur *malum ore* nequit haberi crassa vel supina; nec dicenda videtur affectata, ideo saltem quod Eustorgius agere perhibetur plus minusve coactus. Etsi ex littera casus satis constet Eustorgium *ausum* fuisse decretum infringere dioecesanum. nescimus num suspensionis poena fuerit in illos lata *qui praesumpserint*, etc., decretum violare; si verba huiusmodi adhibita fuerunt in decreto, Eustorgius suspensionem non incurrit, cum saltem a gravi Imputabilitate metu excusetur, etiam in foro externo si pro eo excusatio evincatur; si verba illa adhibita non fuerunt in decreto, tunc esset suspensio distinguenda, lata scilicet uti poena vindicative et lata uti censura: si ut poena vindicative, Eustorgius non excusatur; excusatur vero si ut poena medicinalis seu censura.

portare. Tunc, si decretum dioecesanum latum fuerit ad urgendam praescripti liturgici observantiam in his rerum adiunctis, non loquamur amplius de incommodo legi extrinseco: offensio populi dicenda esset rebellio et decreti dioecesani violatio in ecclesiasticae auctoritatis vergeret contemptum; Eustorgius incurrit suspensionis poenam. Casus tamen huiusmodi perrarus; agitur, ut plurimum, de offensione populi ignorantis, de pusillorum videlicet scandalo; recte ergo praesumitur, dum sola liturgica praescripta sunt in causa, eorum violationem nullum sive fidei auctoritatisve ecclesiasticae contemptum, sive publicum animarum damnum secum ferre; Eustorgius suspensioni non subiacet.

- 57 Confessarius igitur postulet ab Eustorgio pleniorum decreti dioecesani notitiam, priusquam iudicium ferat sive de peccato commisso in violatione rubricarum et decreti, sive de suspensione propterea incursa; eum admoneat insuper de sufficientia aut insufficientia causae invocatae, ipsique planum faciat principium quidem allatum verum esse ac solidum, eius tamen applicationem peregrinam saepe et ineptam. Consilium vero adiungat ut Eustorgius, si serio reformidat populi maius malum, rem Ordinario aperiat, cuius inde determinationi pareat simpliciter^x.

1 Prout animadvertit D. Thomas (*Summa Theol.*, III, 97. 4): «Contingit quandoque quod aliquod praeceptum quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus non est conveniens huic personae, vel in hoc casu, quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquid malum. Periculosum autem esset ut hoc iudicio cuiuslibet committeretur. nisi forte propter evidens et subitum periculum. Et ideo ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana quae suae auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel casibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut praeceptum legis non servetur.» Eo vel magis quod in ipso can. 2229 § 4 expresse dicitur: «Licet reus censuris latae sententiae ad normam § 3, n. 1. non teneatur, id tamen non impedit quominus, si res ferat congrua alia poena vel paenitentia affici queat.*»

Alii casus.

C. II.—Cum plane noverit se a violento iuvene turpiter 58 concupisci, Valentina a confessario sciscitatur num sibi liceat fornicationi consentire aut saltem se ad fornicationem praeparare, ei si a iuvene dicatur: «aut consentis vei te praeparas ad fornicationem, aut te occido».

Sol.— Negative ad utrumque. Ibi, quoniam fornicatio est mala intrinsece et consensus esset simpliciter voluntarius puellae; quapropter ne metu quidem mortis liceret puellae fornicationi consentire. Hic, pariter, quoniam, prout Salmanticenses animadvertunt, nullum signum ex parte feminae ita demonstrat consensum venereum et turpem sicut ista praeparatio ad copulam inhonestam x.

C. III.— Marcolina narrat confessario se virum habere 59 ad onanismum et sodomiam proclivem, ideoque petit num, sub poena saltem mortis aut gravium molestiarum, cooperatio sit sibi licita.

Sol.— Adest ad rem responsum S. Paenitentiariae, die 3 aprilis 1916:

1. «Si maritus in usu coniugii committere velit crimen Onam, effundendo scilicet semen extra vas post inceptam copulam, idemque minetur uxori aut mortem aut graves molestias, nisi perversae eius voluntati sese accommodet, uxor ex probatorum theologorum sententia licite potest hoc in casu sic cum marito suo coire: quippe cum ipsa ex parte sua det operam rei et actioni licitae, peccatum autem mariti permittat ex gravi causa quae eam excusat: quoniam caritas, qua illud impedire teneretur, cum tanto incommodo non obligat.»

2. «At si maritus committere cum ea velit Sodomitarum

1 Salmanticenses Mor., tr. 25. c. 1. n. 125.

crimen, cum hic sodomiticus coitus actus sit contra naturam ex parte utriusque coniugis sic coeuntis, isque Doctorum omnium iudicio graviter malus: hinc nulla plane de causa, ne mortis quidem vitandae, licite potest uxor hac in re impudico suo marito morem gerere»¹

60 C. IV.— Cui fur minatur mortem nisi una secum atque pro se bona aliena subripiat, licetne haec subripere?

Sol.— Hanc cooperationem materiales, positivam et immediatam—quae attingit ipsam pravam actionem principalis agentis—nonnulli reprobarunt quod putabant malam ab intrinseco. S. Alphonsus autem ipsam cum aliis probat, quoniam actus quo cooperatio fit non est in adiunctis pravus cooperant!² Et si quidem disputant recentiores num in extrema necessitate constituto cooperatio huiusmodi sit licita ubi subreptio agitur summae pecuniae ingentis, ipsam omnes proclamant licitam ubi subreptio non summae momentosae, saltem si summae tenuis; haec enim summa pro cooperatore materiali, etsi positivo et immediato, in extrema necessitate constituto non est materia furti.

61 C. V.— Lucia, timida puella, dum prae officiis in ecclesia religiosorum orationi incumberet, vidit iuvenem ingredientem a quo novit libidinose concupisci. Timens ne, solitudine propitia, patiatur violentiam, intra clausuram Fratrum se recepit donec, fidelium multitudine congregata, tutus pateret exitus.

Sol.— Clausurae lex est ecclesiastica, et agebatur in casu metus gravis; absolute quidem, cum puella timeret carnalem violentiam; saltem relative, ob puellae timiditatem, cui nihil aliud occurrit v. gr. exire ecclesiam, advocare ostiarium etc.; repentinum ipsum periculum eam impedivit ne cetera

¹ Batzill, *Decisiones S. Sedis de usu et abusu matrimonii*, p. 29, ed. 1937.

* S. Alphonsus, *Th. Mor.*, III. 571. ed. Gaudé.

remedia cogitaret, aequae efficacia. Ergo neque peccavit graviter neque incidit in excommunicationem latam contra clausuram violantes—a qua forsitan et excusabitur ratione aetatis (can. 2230).

III. VIS ET METUS

Doctrina.

Ne actus exterior pravus imputetur in culpam ipsi qui vim patitur requiritur, ex dictis (39) voluntatis repugnantia interior et insuper externa resistantia, licita tamen, physice possibilis et moraliter debita. Prout non est debita resistantia exterior simpliciter inefficax (ib.), sic neque resistantia valde periculosa illi qui vim patitur. Haec etenim resistantia cadit sub praecepto affirmativo, non urgente pro semper, et diximus metum antecedentem gravem excusare a lege affirmativa, non modo humana, verum et naturali (50). Sub metu igitur gravis damni potest quis non teneri ad ponendam resistantiam physicam sibi possibilem vel ad sustinendam quantum physice potest resistantiam hactenus positam.

Iure, igitur, Aertnys-Damen: «Resistentia externa eatenus tantummodo requiritur, quatenus est sequela necessaria displicentiae voluntatis, ita ut si totaliter aut partialiter deficeret, esset signum voluntatem non aut secundum quid tantum effectui alicui esse oppositam. Quam ob rem ubi resistantia externa tamen frustanea vel nimis difficilis foret, *per se* ad perfectam rationem violentiae non requiritur, sed sufficit externe passive sese habere; *per accidens* etiam tunc requiri potest, quatenus aliquando adest periculum ne secus voluntatis displicentia in consensum transeat»

1 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I. 32, ed. 1939.

Casus prius.

63 Claudius, puer quattuordecim annorum, patre ac matre orbatus, cum avunculo vivit, a quo ad sodomiae crimen adducitur, semel vel bis in mense, gravibus coactus minis. Criminis conscius et etiam a confessario instructus, infelix adolescens pro viribus obsistit, at quandoque, minis etiam mortis exterrefactus, avunculi libidinem patitur. Accedit autem ad Gerardum confessarium qui, timens futurum consensum pueri in crimen pessimum, ei imponit, sub poena denegatae absolutionis, ut derelinquat domum aut denuntiet avunculum, cum leges patriae crimen illud puniant, speciatim minorum corruptione interveniente et abusu potestatis. Anceps manet Claudius, cum ad victum procurandum se imparem adhuc sentiat, nec alios habeat consanguineos vel affines, simulque praevideat ex avunculi denuntiatione illius familiae ruinam ac suiipsius secuturam.

Solutio

64 Quandiu Claudius pro viribus obstitit avunculo deterrimo, optime quidem egit. Si quandoque, minis etiam mortis exterrefactus, avunculi passus est libidinem, externam dumtaxat omittens resistantiam physice possibilem, non est culpandus : cum scilicet post illatam sibi vim ipse opponit vel intentat resistantiam externam—physice possibilem et moraliter licitam—, avunculus vero minatur, vel ille timet, pergrave nocumentum nisi ab hac externa resistantia, posita aut cogitata. desistat, puer quidem tenetur interius repugnare, at non tenetur resistantiam illam aut cogitatam ponere aut sustinere positam si iam satis significavit internam repugnantiam: agitur enim resistantia activa, cadens sub praecepto affirmativo, non urgente pro semper.

Carpendus igitur est Gerardus quod statim, sub poena 65 denegandi absolutionem puero imponit ut derelinquat domum aut denuntiet avunculum. Agitur quidem occasio futuri et gravissimi peccati, occasio tamen, etsi continua seu in esse, necessaria moraliter—eam cum dimittere Claudius nequeat sine incommodo gravi, in bonis sive fortunae sive famae; debuit igitur ipsi praeprimis declarare media quibus occasio, absolute proxima, maneat puero subiective remota, scilicet ut, praeter orationem et sacramentorum frequentiam pro spiritualium virium augmento, fugiat familiaritatem cum avunculo, vitet etiam, quantum fieri possit, eius aspectum, si cum eo loquendum sit, id faciat paucis atque frigidis verbis. ianuam cubiculi, pro posse, claudat, omniaque, verbo, faciat quae sympathiam avunculi imminuant vel avertant. Immo, priusquam ad extremum separationis vel denuntiationis procedat imponendum remedium, Gerardus consideret attente num Claudius exinde coniciatur in novum atque par peiusve periculum; quod quidem ut pro viribus vitet, curet ipsemet, praehabita licentia paenitentis, de huius receptione in institutum vel familiam ubi valeat agere vitam moribus civilibus et religiosis tutam.

Alii casus.

C. II.— Nonnullae puellae vim passae belli tempore a mi- 66 litibus regionem occupantibus petunt a confessario num peccarunt cum pusillanimitate vel timore vano, v. gr. offendendi aggressorem, huic non restiterunt quantum poterant.

Sol — Affirmative, quoniam ille timor levis est aut vanus, qui propterea excusare nequit ab opponenda resistentia; unde, etiam secluso periculo consensus in delectationem, non resistentes quantum possunt consentiunt, ait Ferreres 1, aequivalenter in fornicationem et ipsae cooperantur.

¹ Ferreres, *Th. Mor.*, I, 75, ed. 1932.

67 C. III.—Theresia, virgo, narrat confessario se pluries a Patricio fuisse ad turpia sollicitatam; conatibus eius hucusque restitisse; timere tamen ne forsitan ira libidineque accensus hic ipsam opprimat atque mortem minetur si resistat. Ideo quaerit num liceat in casu se habere negative, id est passive.

Sol.—Proprie si loquimur, virgo nequit se habere negative vel. ut plures malunt, passive, nam passive vel negative se habere non est idem ac repugnare. Porro tenetur interius repugnare, ideoque minime consentire in oppressionem atque constanter excludere consensum in delectationem. Non tamen, in casu, teneretur ad opponendam resistantiam externam vel ad positam sustinendam, quandiu periculum consensus absit. Ergo negative seu passive se habere sic est intellegendum quod, importans positivum dissensum interiorem, unam significet omissionem resistantiae externae seu obstaculi. Ideo melius est loqui de passive vel negative se habere *externae*, cum externe fas sit non obstare sive non resistere.

68 C. IV.—Martina confessarium rogat quid sit uxori agendum cum maritus vim adhibet ut ipsa abutatur condomistice et illa, neque temere, timet ex resistantia gravia mala.

Sol.—Tenetur uxor interius repugnare. Potest tamen omittere externam resistantiam. Ideo si, post illatam vim uxor opponit vel intentat resistantiam externam—physice possibilem et moraliter licitam—, vir autem serio minatur, vel

1 Quoniam putant huiusmodi periculum esse proximum, nonnulli petunt a virgine ut nullatenus cedat nisi resistantia sit ipsi physice impossibilis aut moraliter illicita. Sed cum periculum imminet a stupratore ignotu ac peregrino, ipsa congressus turpitudine, saltem insolentia atque minae stupratoris videntur ceteris esse satis ad salvandam virginis internam repugnantiam. Opportune Aertnys-Damen (I. 567): «In praxi vero resistantia etiam externa ordinarie suadenda erit ob periculum consensus. Dico *ordinarie*, si enim femina oratione se muniat, si abhorreat a copula vel ab invasore, periculum facile fiet remotum.»

ipsa prudenter timet, pergrave nocumentum nisi ab hac externa resistantia, posita aut meditata, desistat, tenetur quidem interius repugnare, at non tenetur resistantiam illam aut meditatam ponere aut positam sustinere *. Et quamvis maius sit periculum consensus cum agitur maritus, familiaris, et praecipue si congressus turpis sit assiduus, tamen non est periculum necessario proximum : ipsa congressus turpitude, ipsa indoles mariti perversa et violenta, ipsae minae mariti possunt sustinere feminae repugnantiam.

C. V.— A confessario exquirat Martina nostra utrum liceat uxori, in adiunctis casus praecedentis, marito morem gerere atque corporis copiam facere. 69

Sol.— Negative, nam *corporis copiam, facere*, prout et *morem gerere* marito improbo plus important quam se habere negative sive passive (cf. 67): ibi enim est vera cooperatio positiva, eaque formalis, cum uxor consentiat in viri actionem corpusque suum eius perversae voluntati simpliciter subiciat; hic, e contra, non adest cooperatio nisi materialis et negativa, quae ob periculum pergravis damni a peccato excusatur.

IV. IGNORANTIA

Doctrina.

Voluntarium, cum sit motus ab intrinseco cum cognitione finis, aufert equidem violentia—motus ab extrinseco—; aufertne ignorantia, quae defectum cognitionis importat? 70

Ignorantia definitur: carentia scientiae debitae.

Distinguitur: a) ex parte obiecti: *iuris* seu propositionis 71

1 Omitto clamores, ut resistantiae medium, quia de uxore agitur; si enim non imponuntur virgini cui inde immineret damnum propriae famae, a fortiori non sunt imponendi uxori (46n.).

universalis, legis nempe sive praeceptivae (vel prohibitivae) —v. gr. dum quis ignorat legem ecclesiasticam praecipientem auditionem sacri in diebus festis vel prohibentem lectionem librorum haeresim propugnantium—, sive poenalis—v. gr. si quis nescit percussioni clerici adnexam esse excommunicationem—, sive actum irritantis vel personam inhabilitantis—v. gr. dum quis ignorat votum metu gravi et iniusto emissum esse nullum, vel religiosum sollemniter professum non posse validum inire matrimonium—; et *Jacti*, seu propositionis particularis—v. gr. cum quis ignorat hodie incidere diem festum, hunc librum haeresim propugnare, hunc esse clericum quem percussit, hoc votum emissum fuisse metu gravi et iniusto, hanc feminam cui nupsit votis sollemnibus ligatam esse.

b) Ex parte intellectus: *vincibilis*, quae, dubio adveniente \ superari potest morali diligentia—quam, pro rei gravitate, prudentes ac timorati adhibent in adiunctis— aut fuit volita—directe vel indirecte—licet postea excludat omne dubium; et *invincibilis*, quae nec fuit volita nec moraliter potest superari adveniente dubio.

72 c) Ex parte voluntatis: *antecedens*, quae non fuit—directe aut indirecte—volita, est tamen causa voluntarii actus—v. gr. praevisis diligentibus debitis putans cervum occidere occidit quis amicum, quem certo non occideret si amicum noverit—; *concomitans*, quae nec fuit volita nec est causa voluntarii actus—v. gr. putans cervum occidere occidit quis inimicum, quem occideret quoque si sciret inimicum—; et *consequens*, quae nempe est volita et causa quoque voluntarii actus—v. gr. qui, ob negligentiam, putans cervum occidit hominem, quem, ubi hominem noverit, non occideret—. Ignorantia consequens subdistinguitur: *in se sive directe volita*

1 «Non datur ignorantia vincibilis nisi cognoscatur, saltem in confuso, obligatio ulterius inquirendi; prima enim rerum cogitatio non est in hominis potestate» (Marc, *Inst. Mor.*, I. 287, ed. 1927).

—quae dicitur *affectata*—, eius videlicet qui ignorantiam vult ut effrenate agat absque scrupulo—v. gr. penes catholicum qui ignorare vult ieiunii legem ut absque animi anxietate epuletur quotidie—; et *in causa seu indirecte volita*, eius scilicet qui notitiam obtinere neglegit. Haec altera subdistinguitur: *crassa vel supina*, si nulla aut vix ulla diligentia adhibita; *simplex*, si adhibita diligentia aliqua. Haec postrema, denique, distinguitur: *gravis*, si diligentia adhibita fuit notabiliter insufficiens; et *levis*, si diligentia adhibita, quantumvis insufficiens, non tamen notabiliter.

Ignorantia antecedens, iuris sit aut facti, reddit actum 73 plene involuntarium—mors amici, penes eum qui fecit diligencias debitas ne amicum interficeret, eius repugnat voluntati; ideo post occisionem dolet—. Verum non tollit voluntarium ultra terminos ad quos ipsa extenditur; quoniam potest esse totalis aut partialis: valet enim qui rem habet cum femina, hanc scire non suam, insuper et alienam; valet scire ipsam non suam, quin alienam noverit.

Ignorantia concomitans non aufert voluntarium quod attenditur in affectu, sed aufert voluntarium quod attenditur in ipso actu—mors inimici non repugnat voluntati occissoris habituali, qui propterea gaudet de occisione; non fuit attentamen volita actualiter, cum nihil sit volitum quin praecognitum.

Ignorantia consequens ex negligentia minuit voluntarium—actus cum remaneat voluntarius tantum in causa, confuse potius quam distincte praeviusus—; consequens vero ex electione, seu affectata, etsi ex parte deminuat voluntarium—quatenus, penes paratum servare legem cognitam, manet quaedam ad legem reverentia et quaedam repugnantia transgressionis eius—, ex alia vero parte efficit maius voluntarium—quatenus ex magno affectu ad aliquam actionem agens eligit pati scientiae detrimentum ne postea ab agendo retrahatur.

74 Ex Codice Iuris Canonici: *a)* quoad leges: «Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse caveatur» (can. 16, § 1); ab his ergo legibus non excusat ignorantia quantumcumque inculpabilis; quae profecto a ceteris excusat, *b)* Quoad irregularitates: «Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat» (can. 988). *c)* Quoad delicta: «Violatio legis ignoratae nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis; secus imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate. Ignorantia solius poenae imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantulum minuit» (can. 2202, §§ 1-2). *d)* Quoad poenas in genere: «Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae» (can. 2218, § 2); igitur ignorantia antecedens, concomitans, immo et consequens levis, excusat a censura, *e)* Quoad poenas, denique, latae sententiae: ignorantia affectata, sive legis sive solius poenae, a nulla poena excusat; ignorantia quaecumque alia excusat a poenis latis in praesumentes, scienter, etc., agentes; a ceteris demum non excusat ignorantia crassa vel supina, at excusat ignorantia simplex, quantumvis gravis (can. 2229).

Casus primus.

75 Adalbertus, sacerdos approbatus pro excipendis fidelium confessionibus, experitur scientiam suam ad illud officium rite obeundum tenuem et insufficientem esse; pergunt tamen audire confessiones, ex eo quod de idoneitate sua authenticum episcopi testimonium habeat. Hinc, defectu scientiae et studii, varios committit errores circa speciem peccatorum inquirendam, et praesertim circa restituendi obligationem. A confessario obiurgatus et ad restituendum pro paenitentibus obligatus, statuerat serio ad studia Theologiae Moralis

incumbere, et interea sacrum ministerium intermittere, cum ecce repente advocatur ad Matthiam moribundum, variis restitutionibus, ut fama fert, obnoxium. Pergit anceps, miserum absolvit dubius, non valens implicatam discernere conscientiam, et revertitur tristis, mussitans se iterum restitutioni pro paenitente obnoxium fore.

Quaeritur :

- 1) An errores, de quibus in casu, sint Adalberto imputabiles et an in singulis peccaverit graviter;
- 2) An restitutioni sit obnoxius.

Solutio

Ad Ium.— En in capite verba S. Alphonsi: «Affirmo in statu damnationis esse eum confessarium, qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipendas se exponit... Nec excusabit eum episcopi approbatio, si manifeste se noverit inhabilem. Approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed eam supponit» l. Obiective igitur loquendo, Adalbertus qui se novit manifeste inhabilem, cum expertus iam sit scientiam suam insufficientem esse, non excusatur ideo quod habeat de idoneitate testimonium authenticum. Nec facile subjective excusabitur, nam difficile bona fides de idoneitate stat cum evidentiâ insufficientiae: contra factum enim non valet praesumptio.

Verum ipse S. Alphonsus: «Excusatur tamen confessarius qui caret sufficienti scientia, si adsit necessitas, nimirum si aliter paenitentes deberent diu carere confessione, ut evenit in captivis» † Qui, nihilominus, ad ipsum S. Doctorem ‡, admonendus est de obligatione discendi, si interea nempe discere possit—nam si sit, v. gr. inter captivos, omni libro atque

* S. Alphonsus, *Praxis*, 18, ed. Gaudé.

‡ S. Alphonsus, *Th. Mor.*, VI. 628, ed. Gaudé.

‡ Ibidem.

doctore destitutus, possibilitas et propterea obligatio discendi nulla.

77 Extra casum igitur ultimum cum, postquam serio statuerat ad studium Theologiae Moralis incumbere et interea ministerium sacrum intermittere, repentino advocatur ad Matthiam audiendum moribundum, Adalbertus habuit imputabiles sibi errores quos, in confuso saltem, praevidit aut suspicatus est secuturos eius ignorantiam.

Sed utrum in his singulis quos errores commisit Adalbertus graviter peccaverit, minus constat. Nam effectus voluntarius tantum in causa numquam est magis imputabilis quam ipsa causa, quatenus haec videlicet in illum influit. Si ergo dum studium neglexit aut post retractatam neglegentiam ultroneus sedit pro confessionibus errorem gravem praevidit vel suspicatus est futurum, cui se propterea exposuit, errans peccavit toties quoties graviter (cf. 307). Verum ista praevisio, suspicio atque expositio non sunt amplificandae: quoniam scientia in confessario requisita non est scientia excellens sed dumtaxat mediocris pro casibus ordinariis, immo minor requiritur in audiendis confessionibus simplicium (puta puerorum, rusticorum) aut piorum (puta monialium) quam in audiendis confessionibus negotiantium et curialistarum; quapropter quoad simplicium atque piorum confessiones potuit Adalbertus se putare non notabiliter deficientem, tum cum studium neglexit tum quando sponte sedit pro confessionibus postquam ei occurrit cogitatio ignorantiae nondum retractatae: errores quos forsitan commisit non sunt graves in causa.

78 *Ad Illum.* — Agitur de obligatione restituendi pro paenitente ob errores commissos circa restituendi obligationem paenitentis.

Error potest in casu intellegi negativus, per omissionem nempe monitionis debitae de restituendi obligatione quae

paenitentem gravat; et sic errat indubie confessarius tacens de obligatione, non urgens obligations, seu *non-obligans*. Potest etiam intellegi positivus, per erroneam sententiam qua, interrogatus necne, pronuntiat paenitentem restitutioni non subesse qui revera restitutioni subest; et sic errat profecto confessarius negans obligationem, id est *deobligans*.

Quandiu error negativus exstitit, Adalbertus, qui non ha- 79
bet quatenus confessarius impedire ex officio damnum tertii, temporale maxime, ad restitutionem pro paenitente non adstringitur. At quoties error positivus fuit, Adalbertus tenetur ex iustitia monere de errore paenitentem, etiam extra confessionem \ seu sententiam huic datam retractare: nam quilibet ex iustitia tenetur ne pravo suo consilio cooperetur ad damnum vel temporale proximi; et tenetur ad monitionem huiusmodi sub gravi, quoties damno gravi cooperatur; et tenetur cum gravi etiam incommodo, si error fuerit culpabilis; sine gravi tamen incommodo, si error inculpabilis².

¹ Si paenitens deneget facultatem loquendi extra confessionem a confessis, quapropter errorem corrigendi, confessarius dispensatur a monitione sive retractatione; non attamen a restitutione ubi paenitens pridem si fuisset monitus ipsam fecisset (Vermeersch, *Th. Mor.*, III, 556, ed. 1927), prout statim dicemus.

² Auctores minus clare loquuntur. Sic Merkelbach (*Th. Mor.*, III, 629, ed. 3): «Si error fuerit inculpabilis, item tenetur confessarius, si possit absque gravi incommodo, reparare; quod si non faciat, restituere debet. Ratio est quia tenetur unusquisque ex iustitia, non solum ad non inferendum damnum proximo directe et de industria, sed etiam ad procurandum ne ex sua actione obveniat proximo damnum... Tenetur autem solum absque gravi incommodo, quia damnum non oritur ex iniusta laesione, cum actio fuerit inculpabilis.» Aertnys-Damen (*Th. Mor.*, II, 453, ed. 1939): «Quodsi cum levi culpa vel etiam sine culpa paenitentem exemit, et tunc tenetur ipse restituere, si culpabiliter omittat paenitentem monere, dum commode possit; quia tenebatur ex iustitia et sub gravi, si commode posset, causam damni auferre monendo paenitentem.» Tamen prius (n. 452) dixerat: «Defectum circa obligationem paenitentis qui vergit in damnum sive ipsius paenitentis sive tertii, tenetur confessarius cum gravi suo incommodo reparare, si cum gravi culpa paenitentem positive induxit in errorem; secus tenetur cum in-

Quod si monitio haec debita aut omittatur aut serius fiat —tempore scilicet quo paenitens aut non amplius potest aut non amplius vult restitutionem facere, quam pridem facere potuit atque voluisset—, tunc Adalbertus, si sponte—non ex necessitate—audivit confessionem, tenetur ut pro paenitente restitutionem faciat, quoties error aut omissio monitionis fuit culpabilis atque causa efficax cur paenitens de facto non restituit: nam tunc actione aut omissione iniusta, efficaci et culpabili cooperatus est ipse ad iniustam damnificationem tertii. Et si quidem graviter culpabilis, omnium sententia; si autem leviter culpabilis, disputatur h Oportet attamen errorem vel omissionem monitionis exercuisse influxum efficacem in omissionem restitutionis ex parte paenitentis, sic scilicet quod hic propterea non restituit quoniam sic edoctus fuit a confessario vel quoniam non fuit postea a confessario monitus de restitutione: nam ipsam si paenitens omisisset quantumvis rite edoctus a confessario, huius error non est causa omissionis restitutionis.

80 Sed cum error etiam positivus in audienda confessione moribundi non fuerit culpabilis in causa, iam efficaciter retractata, non tenetur Adalbertus restitutionem facere pro ipso, parato quantumcumque restituere. Tenetur attamen,

commodo non gravi. Ratio prioris est. quia consilio suo fuit causa iniusta damni. Quoad posterius... Non tenetur cum gravi incommodo; quia vel non graviter peccavit, vel ex sola caritate obligatur, quae non obligat cum gravi incommodo.» Marc (l c., II, 1858): «Si paenitentem positive quidem sed inculpabiliter (vel cum levi culpa) in errorem damnosum traxit: tenetur equidem ex iustitia (ut ille qui ignem domui alienae inculpabiliter admovit) impedire damnum cum aliquo suo incommodo, sed non cum Incommodo gravi.»

1 Ut iamiam. in *De iustitia*, 69. dixi, «si ponas materiam gravem, actionem vero damnificam, v. gr. propter inadvertentiam, culpam theologice venialem, quattuor habebis obviam de obligatione restitutionis sententias, quarum prima obligat sub gravi ad reparationem totius damni, secunda ad hanc plenam reparationem obligat sub levi, tertia sub levi obligat ad reparationem damni partialem, et quarta ad nullam reparationem obligat quomodolibet».

sine gravi incommodo, ipsum—si post errorem detectum adhuc vivat—monere de errore a se commisso; hanc monitionem debitam, ideoque possibilem, ubi omittat, restitutioni pro moribundo obnoxius erit. Sed planum est monitionem non faciendam heredibus, quandiu haec non fieret salva lege sigilli.

A lii casus.

C. II.— Se Victorius confessario accusat quod rem habuit 81 cum femina quam invincibiliter credebat solutam, quamque postea detexit coniugatam, ad quam (addit), si id noverim, non accederem.

Sol.— Victorius ignorantia excusatur ab adulterio—nesciebat etenim feminam esse alienam—; sed non excusatur a fornicatione—nam sciebat feminam non suam—. Expresse D. Thomas: «Potest contingere quod aliquis ignoret quidem aliquam circumstantiam peccati, quam si sciret, retraheretur a peccando...; et tamen remanet in eius scientia aliquid per quod cognoscit illud esse actum peccati. Puta si percutiens aliquem, sciat quidem ipsum esse hominem, quod sufficit ad rationem peccati [nempe, iniustitiae]; non tamen scit eum esse patrem, quod est circumstantia constituens novam speciem peccati [impietatis, videlicet]... Unde licet talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excusatur a peccato: quia adhuc remanet ei cognitio peccati» h

C. III.— Quoniam ea quae ignorantes facimus neque 82 conscii ageremus sunt involuntaria, Titius putat se invalide promotum ad sacros ordines: decepit namque episcopum, ei documentum exhibens sufficientis patrimonii quo carebat, optime cum noverit episcopum non esse ordinaturum quem licite ordinare non poterat.

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, III. 76. 3.

Sol.— Graviter Titius errat ordinationem putans invalidam. Sicut enim qui patrem noverit, hominem non occideret (81), ignorans tamen patrem vult hominem occidere; sic et episcopus qui non vellet facere ordinationem illicitam, voluit hanc ordinationem facere quam licitam putabat. Ita et qui missam celebrat ignorans calicem non esse consecratum, vel corporale non esse benedictum, valide, abs dubio, celebrat; quamvis conscius alterutrius defectus abstineret a celebrando.

- 83 *C. IV.*— Invincibiliter ignorans aliquem librum in Indice repositum, volumen totum Secundinus legit. Quod cum narret sacerdoti, lectionem audit prohibitam fidelibus ab Ecclesia. Tunc ipse audacter: Ecclesiae prohibitio non me terret.

Sol.— Etsi non peccaverit Secundinus propter libri lectionem, quippe quae supponitur facta ab ignorante prohibitionem, peccavit attamen propter pravam dispositionem seu propositum si talis tunc versabatur animo qualem se modo prodit.

- 84 *C. V.*— Serio quantumvis de valore matrimonii dubitet, propterea Blanda refugit ultra inquirere quod timet ne exinde teneatur a coniugali copula abstinere. Peccatne petens debitum?

Sol.— Affirmative, quoniam agitur ignorantia consequens, eaque ex electione.

- 85 *C. VI.*— Evodius, sacerdos, cuiusdam monasterii monialium ex delegatione Ordinarii loci administrator, ad expensas urgentissimas in monasterio faciendas magnam titulorum qui dicuntur ad latorem quantitatem, quos monasterium acquisivit ex hereditate delata moniali sollemniter professae, alienavit absque beneplacito apostolico, ratus in hoc casu titulos computandos esse ut pecuniam pro occurrentibus ne-

cessitatibus impendendam. At dein scrupulis premitur, dubitatque ne in casu in excommunicationem inciderit.

Sol.— Ponamus agi revera tam magnam titulorum ad latorem quantitatem quantam cann. 534, § 1, et 1532, § 1, et posteriores S. Sedis declarationes prohibent alienari absque beneplacito apostolico h Tunc quidem Evodius a lege non eximeretur quod alienationis necessitas sit *urgens*: haec enim ex can. 1530, § 1, praerequiritur beneplacito impetrando. At alienatio in casu facta est pro expensis *urgentissimis*. Porro, si erat periculum in mora Doctores non urgent S. Sedis licentiam, sed licentiam episcopi, quae quandoque, dicunt, sufficit praesumpta. Sed etiam si periculum in mora nullum, Evodius a censura subducitur: beneplacitum enim apostolicum ipse *scienter* non praetermisit, ut petit can. 2347: putabat enim, prouti refert, titulos in casu computandos esse ut pecuniam pro occurrentibus necessitatibus impendendam. Sed demus, denique, ipsum laborasse culpabili ignorantia; haec non fuit affectata; porro, etiamsi fuisset crassa vel supina, haec eximit ab excommunicatione quae nunc agitur vi can. 2229, § 2.

V. INADVERTENTIA

Doctrina.

Si rei habitualiter notae non recordamur, patimur oblivio- 86
nem; si vero ad rem habitualiter notam non attendimus actu, habemus inadvertentiam. Quae ideo nominat defectum actua-

1 Summa 30.000 libellarum sive francorum, de qua in can. 534. § 1 et 1532, § 1, n. 2. aequipollet. perdurantibus praesentibus adiunctis et ad nutum S. Sedis, summae 10.000 francorum seu libellarum aurearum (C. Consist., 13 iulii 1951; AAS 43 [1951], p. G02 s.). Summa autem 10.000 francorum seu libellarum aurearum aequipollet modo in Italia summae trium millionum libellarum in moneta currenti seu chartacea (cf. *Monitor ecclesiasticus*, 78 [1953], p. 109; ubi habes quoque aequipollentiam pro moneta aliarum nationum.)

lis considerationis, cogitationis vel attentionis ad rem habitualiter satis cognitam, id est legem, sive praeceptivam sive poenalem—inadvertentia iuris—, vel factum—inadvertentia facti.

- 87 Attentionis defectus potest esse non Abolitus, causa tamen actus—inadvertentia antecedens—; non volitus neque causa actus—inadvertentia concomitans—; atque volitus et causa actus—inadvertentia consequens—, sit volitus directe sive in se—si quis vult non attendere, v. gr. ut vitet scrupulum vel excusetur a poena—aut indirecte seu in causa—si voluit passionem sequi quam novit aut suspicatus est tollere advertentiam, si non retractavit habitum quo sciebat perducere inadvertenter, si neglexit apponere diligentiam debitam.

Inadvertentia antecedens potest esse totalis et partialis, prout supra diximus de ignorantia (73).

- 88 Ex can. 2202, § 3 : «Quae de ignorantia statuuntur, valent quoque de inadvertentia.»

Inadvertentia igitur (cf. 74) antecedens, concomitans, immo et consequens levis, excusat a censura. Inadvertentia consequens gravis, e contra, sive legis sive solius poenae : a) si affectata sit, non excusat a censuris latae sententiae; b) si vero non sit affectata, excusat quidem, quantumcumque crassa vel supina, a censuris latis in praesumentes, scienter, etc., agentes; a ceteris autem quae crassa vel supina non sit, simplex videlicet, tametsi gravis.

Causus primus.

- 89 Orosius, in parochum iratus, qui, ingravescentibus luctis politicis, publico sermone edixerat non licere suffragium dare factioni monarchicae, cui ille erat addictissimus, extra ecclesiam, palam, dixit: «Non amplius credam quae religio ca-

tholica docet, quia sacerdotes alienum agrum usurpant, cum ad ipsos non pertineat quaestiones politicas dirimere.»

Confessionem vero instituens, interrogatus a confessario an sciverit hoc peccatum esse Apostolicae Sedi reservatum, respondit: «Sed non memini an tunc ad censuram attenderim vel non.»

Hisce auditis, confessarius, putans Orosium censuram non incurrisse, eum absolvit.

Quaeritur: An confessarius recte se gesserit.

Solutio

Verba quae palam extra ecclesiam Orosius protulit sunt **90** manifeste haeretica. Si quod exterius proferebat erat signum interioris animi, si ipse, videlicet, denegavit (tunc saltem temporis) assensum iis omnibus quae religio catholica docet, habemus haeresim, immo et apostasiam, internam et externam, quae punitur in lure excommunicatione latae sententiae specialiter reservata Sedi Apostolicae (can. 2314, § 1, n. 1, et § 2).

Ab hac poena incurrenda excusat, ex praedictis, ignorantia vel inadvertentia sive legis sive solius poenae x, dummodo fuerit simplex, quamvis gravis; non tamen excusat affectata, nec crassa seu supina.

In casu nostro Orosius non excusatur ignorantia; verum invocat inadvertentiam.

Non est probabile inadvertentiam hanc fuisse, cum pec- **91** cavit, affectatam, nam et ira negligit industriam ¹ et illorum

¹ «Excusans ignorantia refertur ad censuram qua talem, minime vero ad ipsius censurae severitatem, quae potest esse reservata vel non... Non censetur ignorare censuram qui confuso modo novit peccato adiunctam esse quandam poenalem sanctionem ecclesiasticam» (Vermeersch, *Th. Mor.*, III, 90S, ed. 1927).

² Ad verbum Philosophi «iracundus non est insidiator, sed manifestus» (7 Ethic.), D. Thomas: «Iracundus dicitur esse manifestus, nor

quae studiose egit facile quisque recordatur. Nec est probabile ipsam fuisse crassam vel supinam, quoniam verba prolata fuerunt inexpectata certe occasione¹ et dum in corde fervebat ira in parochum, qui, ingravescentibus luctis politicis, mox in factionem monarchicam invexerat. Inadvertentia igitur Orosii, cum fuerit simplex, hunc excusavit a censura².

Verum etiamsi fuerit crassa vel supina, immo et affectata, Orosius confessionem instituens non amplius recordatur an tunc ad censuram attenderit vel non. Dubitat ergo paenitens an habuerit illam advertentiam quae ad censuram incurrendam requirebatur. Dubium est igitur num censuram incurrerit. Ipse propterea non tenetur censuram observare³, «et

quia manifestum sit sibi quid facere debeat: sed quia manifeste operatur, non quaerens aliquam occultationem. Quod partim contingit propter impedimentum rationis, quae non potest discernere quid sit occultandum et quid manifestandum, nec etiam excogitare occultandi vias...» (*Summa theol.*, I-II, 48, 3, 2m).

¹ «Qui festa vel ieiunia non servant ex ignorantia, eo quod de iis cognoscendis parum solliciti esse solent, non excusantur a peccato, quia eorum negligentia est vincibilis. Si vero de occurrenti festo vel ieiunio nihil suspicantes, ordinaria cognoscendi media una alterave hebdomade omittunt, a peccato excusantur, quia tali omissione in requisita diligentia non defecerunt, et proin ignorantia non est vincibilis» (Marc, *Inst. Mor.*, 1, 289, ed. 1927).

² Putat Teodori inadvertentiam simplicem in casu non fuisse graviter culpabilem, «nam verba quae Titius protulit, in irae impetu dixit, forsitan, saltem videtur, omnem mentis advertentiam praeveniente, prout frequenter similibus in casibus contingit» (in *Apollinaris*, 2 [1929], p. 324). D. Thomas attamen: «Blasphemia potest absque deliberatione ex subreptione procedere dupliciter. Uno modo, quod aliquis non advertat hoc quod dicit esse blasphemiam. Quod potest contingere cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat. Et tunc est peccatum veniale: et non habet proprie rationem blasphemiae. Alio modo, quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum. Et tunc non excusatur a peccato mortali: sicut nec ille qui ex subito motu irae aliquem occidit iuxta se sedentem» (*Summa theol.*, II-II, 13, 2, 3m). «Non potest dici subitus motus infidelitatis vel dubitationis qui etiam in verba prorumpit» (7 *De malo*, 7, 13m).

³ Eadem benignitate eundem casum absolvunt Ferreres (*Casus*

in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget» (can. 2245, § 4).

Quapropter confessarius, licet incongrue interrogaverit de notitia reservationis \ cum debuisset potius interrogare num paenitens sciverit adnexam suo peccato poenam aliquam ecclesiasticam, et licet propere iudicaverit Orosium non incurrisse censuram ², recte tamen se gessit dum hunc absolvit.

Alii casus.

C. II.— Servandus se accusat quod accedens ad mensam ⁹² die Veneris ita intentus erat solutioni problematis in scholis sibi propositi ut inadvertenter manducaret carnes quae allatae fuerunt.

Sol.— Facile agitur invincibilis inadvertentia. excusans a peccato.

C. III.— Caietanus, volens vindictam sumere de inimico ⁹³ ditissimo, eius aedes statuit noctu incendere. Noctu igitur pergit ut consilia perficiat. Verum ob tenebras exteriores atque interiorum trepidationem, ignem apposuit ex inadvertentia domui pauperis amicissimi.

An incendium domus pauperis sit Caietano voluntaria.

Sol.— Posset quis facile incendium domus pauperis dicere ⁹⁴ voluntariam quoniam inadvertentia Caietani videtur fuisse consequens: eo etenim quod nox perfusa tenebris et ipse trepidatione turbabatur, diligentiam adhibere debuit ut do-

Consc. II, 1293, ed. 1926): «iuxta can. 2232 § 1, nemo tenetur censuram observare nisi delicti sit conscius», et Teodori (l. c.): «nec quis tenetur censuram observare nisi delicti sit conscius».

¹ «Cum reservatio non sit poena, etiam peccatum seu censura illius qui reservationem ignorat reservatur» (Vermeersch, l. c.). Cf. 371.

⁴ Hoc etenim non constat; prouti constat reservationem non urgere.

mum secerneret a domo; hanc tamen diligentiam non adhibuit; inadvertentia ergo fuit volita et propterea incendium domus pauperis fuit ipsi voluntaria simpliciter, quamvis secundum quid involuntaria.

95 Pacatiorem tamen premamus viam. Ponamus inadvertentiam ob quam Caietanus ignem apposuit domui pauperis amicissimi exstitisse antecedentem et invincibilem.

Qua certe in hypothese plures, cum S. Alphonso ¹ incendium domus pauperis dicunt involuntariam. Alii, contra, voluntariam ipsam pronuntiant. In his D. Thomas ²: agitur enim inadvertentia partialis et remanet advertentia qua satis fit voluntario incendio. Nec oportet insistere cum S. Alphonso ³ quod «in damnificatione principaliter intenditur iniuria in personam domini, et accessorie illius damnum»; accessoria etenim intentio manet intentio vera, id est vera voluntas. Potest quis siquidem moniali libidinose abuti in odium religionis aut in propriae voluptatis commodum; utrobique habemus sacrilegium personale voluntarium atque vo-

¹ S. Alphonsus, *Th. Mor.*, III, 629, ed. Gaudé. Inter recentiores citantur a Hering (*De obligatione restitutionis in damnificatione ex errore in Angelicum*, 17 [1940], n. 148 s.) D'Annibale, Jone, Arregui. Loiano et Mare. Contra quos Vermeersch (l. c., I, 376, ed. 1926): «Opinio illa quae propter errorem, a restitutione eximit illum qui voluntarie ignes admovet domui alienae sed quam putabat esse Caii. dum erat Titii, ipsis protestationibus sensus communis explosa nobis videtur.»

² «Si aliquis sagittator velit quidem occidere hominem, sed non patrem, si sciret eum qui transit esse patrem, nullo modo sagittaret: sed quia ignorat eum esse patrem, sagittando interficit: unde ignorantia ista causât manifeste peccatum homicidii: quia in omnem eventum iste sagittator est reus homicidii, licet non sit reus parricidii in omni casu» (3 *De malo*, 6). Et iterum: «Dupliciter contingit ignorantiam non excludere sic totaliter voluntarium quod tollatur omnino ratio peccati. Uno quidem modo quando ipsa ignorantia est voluntaria... Alio modo etsi ignoretur aliquid, aliud tamen scitur quod sufficit ad rationem peccati, sicut dictum est de eo qui sagittando interficit eum quem ignorat esse patrem, sed tamen scit esse hominem; et sic quamvis involuntarie committat patricidium, voluntarie tamen committit homicidium» (ib., im).

« S. Alphonsus, L c.

luntariam luxuriam, quamvis luxuria in primo casu, sacrilegium in altero sit accessorie volitum. In damnificatione igitur, quantumcumque iniuria personalis veniat principaliter intenta, iniuria, contra, realis accessorie, utraque tamen iniuria volita et voluntaria pronuntianda. Quod si, ob inadvertentiam, damnificatio fit alteri personae sive domino, nulla aderit effective iniuria personalis, manebit attamen iniuria realis quandiu damnificator advertit rem esse alienam, videlicet non suam.

In casu ergo, Caietanus optime advertit se ignem apponere domui non propriae, sed alienae; quantumvis non adverteret verum dominum. Iniuria personalis, erga pauperem amicissimum, involuntaria; iniuria tamen realis, voluntaria.

C. IV.— Patricius haec accusat: Inter venandum graviter 96 vulneravi ex invincibili inadvertentia Turibium clericum, quem iam diu occidere proposueram et de cuius vulneratione casuali valde laetatus sum. Excusaturne Patricius a peccato homicidii et sacrilegii, a poena excommunicationis et a debito compensandi damna quae ex vulnere Turibius passus est?

Sol.— Patricius excusatur quidem ab actu sacrilegi homicidii, non ab homicidii sacrilegi voluntate; est homicidii reus quoad affectum, non quoad effectum. Penitus tamen excusatur ab excommunicatione, quippe quae non est lata in eos qui volunt clericum occidere vel de clerici vulneratione gaudent, sed in eos qui voluntarie clericum vulnerant vel occidunt—in casu vulnus, non fuit Patricio voluntarium—. Prorsus quoque excusatur a restitutione pro damnis Turibio illatis, quorum efficax causa non est propositum Patricii habituale vel desiderium occidendi, sed una actualis vulneratio—ipsi non voluntaria.

C. V.— Tiburtius, praeter alia, haec confessario pandit, se 97 videlicet puellas atque feminas omnis generis libidinose con-

cupiscere. Increpatus de adulterio forsan et sacrilegio, respondet se plerumque non advertere ad feminarum condicionem (maritalem nempe vel religiosam), totus cum sit in ipsarum pulchritudinem intentus.

Sol.— Habuit Tiburtius noster virtualementem saltem advertentiam \ Distinctam, probabilius, conscius cum concupisceret feminas *omnis generis*. Ut minimum, confusam, nam fatetur suis pravis desideriis *frequenter* induisisse. Suspensus est igitur illarum feminarum condicionem, advertit ad periculum concupiscendi nuptas et Deo dicatas. Ipsa pravorum desideriorum extensio atque frequentia Tiburtium produunt liberioris vitae atque vitiosi habitus, quem, nedum retractaverit, fovit hucusque. Ei propterea oportet imputemus, voluntarias in causa, concupiscentias habitum consequentes, harum malitiam etsi tunc cum insurgerent non adverterit².

Immo actualementem eamque distinctam advertentiam facile adiudicaret Tiburtio confessarius quoties prava illius desideria ferebantur cum ad nuptas habitualiter ipsi notas, tum maxime ad religiosas feminas quarum condicio manifesta saltem ex veste (cf. 109).

98 C. VI.— Raymundus, sacerdos, confessario accusat procurasse sibi pollutionem. Increpatus a confessario de luxuria atque sacrilegio, Raymundus opponit se taliter passione com-

¹ «Confessarum debere maxime venari ex moribus paenitentis, an inadvertentia quam allegat sit vincibilis vel invincibilis; si enim sit vitae liberioris, pravis habitibus constrictus, saeculi moribus serviens et salutis incurius, iudicanda est ut plurimum inadvertentia vincibilis et voluntaria» (Billuart, *Summa S. Th.*, tr. de peccatis, dlss. 5, art. 6).

³ «Ille qui habet habitum (non retractatum) blasphemandi, etsi hic et nunc blasphemans non attendit ad malitiam huius actus, nihilominus graviter peccat. Ratio est, quia ille qui scienter non impugnat pravam habitum blasphemandi, cum morali certitudine praevideat se saepius cum vel sine advertentia actuali in blasphemias esse erupturum. Quodsi hoc non impediatur, omnes actus blasphemiae sequentes sunt revera peccata mortalia, quia sunt indirecte voliti» (Prümmer, *Th. Mor.*, i, 37, ed. 1931).

motum fuisse ut advertent quidem se peccare contra castitatem sed nullatenus cogitasse de sua condicione sacra.

Sol — lure increpatus est a confessario etiam de sacrilegio. Nam advertentia «non requiritur reflexa qua homo cognoscat se advertere, sed sufficit directa ad ipsam malitiam advertentia, qualis etiam ex habituali notitia hauritur et vix abesse potest in iis quae habitualiter cognoscuntur et frequenter in memoriam revocantur: ita si persona sacra contra castitatem peccet, etiamsi de sacrilegio non explicite cogitet, illud tamen advertit implicite seu in actu exercito, cum sciat se esse et non alium qui talia perpetret» h Concinit ipse Lehmkuhl²: «Obvia aliqua circumstantia malitiae, quam agens habitualiter scit, vix umquam ita oblivioni vel inadvertentiae tradi potest, ut non sit sufficiens cognitio ad malitiam contrahendam. Ita, v. gr. quis non rideat sacerdotem vel religiosum, qui contra castitatem peccaverit, dicentem se ad votum sive statutum sacrum nullatenus attendisse?»

VI. CAUSAE HABITUALES INFLUENTES IN VOLUNTARIETATEM ET LIBERTATEM

Doctrina.

Prouti diximus voluntarium id quod procedit a voluntate 99 cum cognitione finis, liberum nominamus id quod procedit cum cognitione finis a voluntate indifferenti—quae velit id vel aliud, quae velit id necne.

Et post ignorantiam quidem, de qua supra (70 ss.), prima causa habitualis influens in voluntarietatem et libertatem est,

¹ Merkelbach, *Theol. Mor.*, I, 540, e<l. 3.

² Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, I, 77, ed. 1910.

ipso vel nomine, habitus sive consuetudo, inclinatio constans videlicet, iteratis actibus comparata, ad actus consimiles. Distinguitur habitus *voluntarius*, advertenter contractus aut saltem advertenter non retractatus; atque *involuntarius*, qui aut inadvertenter contractus est et nutritus, aut, advertenter licet contractus, retractatus est efficaciter h. Habitus voluntarius, voluntarium auget; minuit attamen et interdum aufert liberum in se—cum obnubilans intellectum minuat vel auferat indicii indifferentiam—, quamvis non in causa. Habitus, contra, involuntarius, voluntarium ex parte minuit si advertentia actualis est imperfecta; aufert vero ex toto ubi advertentia fuerit nulla.

100 Alia causa est temperamentum sive complexio corporalis, complexus propensionum scilicet quae ex organismo cuique competunt. Sicut passio antecedens, minuit ex parte voluntarium et liberum: quod attamen non aufert nec ordinarie semiplenum reddit adeo ut de peccato mortali mutet in veniale.

Tertia causa est character sive complexus propensionum nativarum educatione atque voluntate modificatarum aut firmatarum. Character per se non destruit liberum immo nec voluntarium, saltem in causa.

Ultima, demum, causa habitualis est status pathologicus qui dicitur, id est status seu perturbatio mentalis permanens ob alterationem nervei systematis—ob substantialem namque unionem corporis et animae, magnus proculdubio est influxus non modo quem anima in corpus obtinet sed et quem corpus in animam exercet—. Hic status morbosus, etsi locum

1 Ad efficacem hanc retractationem non sufficit displicentia voluntatis sed ulterius requiritur sincerum atque firmum propositum media adhibendi ad extirpationem contracti habitus. Si qui habitum retractavit, neglegat adhibere media proposita, ei habitus fit iterum, propter hanc negligentiam, indirecte voluntarius et liber; ideoque actus sequentes, saltem in causa, voluntarii, liberi, imputabiles.

concedat amplum voluntario in causa—dum quis sciens et volens hunc statum induxit—, saepe non nisi exiguum sinit libero in se, cum significans passionem vehementem, impressionem validam, minuat vel auferat iudicii indifferentiam, interdum vel impediatur iudicium, reddat voluntatem debilem neque raro impotentem quae propensionibus resistat. Hinc multoties difficile iudicium de responsabilitate agentis plena, semiplena, nulla; quod ideo oportet relinquamus Deo. Porro in dubio de gravitate subiectiva actus, hunc ne mortalem culpam pronuntiemus vetamur illa regula seu principio: Nemo malus, nisi probetur.

Ad abnormalitates porro psychicas permanentes spectant 101
tum psychosae tum psychoneurosae.

Psychosae auferunt vel omnino perturbant modo habituali rationis usum, sive in omni materia—v. gr. idiotismus, imbecillitas, dementia tam senilis quam praecox—, sive in materia determinata—v. gr. mania persecutoria, *moral insanity*—. Ideo «psychosae, saltem graviores, solent tollere omne liberum, vel saltem id valde minuunt, ita ut vix peccatum grave haberi possit; idque saepe etiam (uti in paranoia) iis in rebus in quibus patiens insanire non videtur» x.

Psychoneurosae, licet de se non auferant neque plene perturbent rationis usum modo habituali, libertatem facile deminuunt cum iudicium, quod rectum compatiuntur, speculativum sit potius quam practicum.

Ad psychoneurosas hysteria 1 revocatur.

102

1 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 45, ed. 1939.

2 cNomen ab Hippocrate venit, qui hanc psychopathiam ex uteri dislocatione provenire iudicabat. His autem nostris temporibus nemo est qui ita indicet, propterea quod etiam innumeros viros histerismus invadat» (Pujiula, *De medic. past.*, n. 145, ed. 1948). <Ad eam disponunt vita mollis, abstinentia a physicis exercitationibus, lectio librorum romanensium qui phantasiam excitant et cor perturbant, praecox et excessivum studium, libidinosi excessus, uno verbo quidquid debilitatem

Hysteria «in eo praesertim consistit quod nervorum sensibilitas minuitur aut ad tempus extinguatur in quibusdam corporis partibus (anesthesia), dum in aliis multo intensior redditur (hyperesthesia). Haec nervorum irritabilitas totam hystericorum naturam commutat, mentem perturbat, voluntatem debilitat, atque morbidam inducit suggestibilitatem, quae a plerisque habetur ut praecipuum hysterae signum» h Praeterquam enim signum transitorium, crisis, paroxysmus, *attacchi* sive agitatio hysterica, nonnulla dantur signa permanentia atque constantia, quae *stigmata* vocantur.

- 103 Numerantur quattuor a Prümmer 2: a) egoismus prorsus exaggeratus et morbosus. «Persona hysterica solet omnia ad seipsam referre. Quapropter continuo lamentatur alios homines ipsam non satis considerare... Exinde conatur ut alii illi commisereantur. Magnam satisfactionem persentit si alii homines eius dolores, angores, labores agnoscunt vel admiranantur»; b) inconstantia abnormis in affectibus. Hystericus «hodie cum magna fiducia accedit ad confessarium vel medicum eorumque mandata fidelissime observat, cras conqueritur de confessario et medico tamquam de hominibus sine corde et intellegentia»; c) defectus veritatis et veracitatis. «Persona hysterica decipit se, decipit alios, licet id non faciat semper scienter aut ex malitia. Hinc apud illam inveniuntur aliquando actiones quae prima fronte consideratae apparent miraculosae, e. gr. visiones caelestes, apparitiones diabolicae, ieiunium per complures hebdomadas protractum (clam autem ipsa manducat), immo et stigmata sanguinea in manibus, pedibus, latere. Haud raro etiam putida mendacia narrat hystericus de rebus et factis aliorum, immo pessime denigrat honorem confessarii, ipsique causât multa incom-

physicam inducit et nervosum systema commovet» (Tanqueray, *Th. Mor.*, II. 179. ed. 1931).

¹ Tanqueray, l. c.

¹ Prümmer, *Th. Mor.*, I, 96. ed. 1931.

moda» ; *d*) peccata non consueta contra temperantiam. «Cum insuper persona affecta hoc morbo defectum sit passa in veritate iudicii et in veracitate locutionis, haud raro accusat alios de luxuria secum commissa. Qua de causa sacerdos extra confessionem ne loquatur solus cum sola, ut calumnia in illum postea fieri nequeat» L

Non est facile definire num et quo gradu actus hysterico- 104
rum maneant liberi. Neque plurimum est assertionibus ipsorum tribuendum, nam «hysterici infirmitas, magna ex parte, in imaginatione residet, quae tendentiam magnam habet ad suis phantasmatis realitatem dandam, ex quo consequitur ut multa quae dicit falsa omnino sint» 1. Omnes igitur circumstantiae sedulo attendendae. In genere, extra crisis seu agitationem hystericam, actus haberi nequeunt veluti omnino involuntarii; censeri potius debent voluntarii imperfecti, qui saepe non attingunt malitiam gravem, tum maxime cum agitur de impuris cogitationibus et desideriis.

Casus primus.

Abundius confessarius saepe saepius obviam habuit Lu- 105
cretiam puellam, hystera laborantem, quae semel confessa est se. ut parentum attentionem sibi compararet et ut consanguineorum omnium oculos ad se converteret, finxisse sibi mortem voluntariam praeparasse, adhibendo tamen praecautiones ne effectus revera sequeretur; alias accusavit se falso narrasse pluribus visionem B. Mariae Virginis habuisse, et ita sacerdotem quoque decepisse, quem postea dubitantem, ad vindictam sumendam, de falso sollicitationis crimine accusasse.

1 Opportune quoque Wouters (*Th. Mor.*, I, 55): «Fieri potest ut, sibi mirum quid accidere, insanum in modum cupientes, ad sexualem cum ecclesiasticis (confessariis) relationem tendant; item fit ut fingant violentiam sibi allatam vel sollicitationes sibi propositas.»

2 PUJULA, 1. C.

Quaerenti puellae utrum umquam letaliter peccaverit, cum in his omnibus actionibus, licet a morbo impulsam, scienter egerit, Abbundius respondet: Nequaquam!, intra se cogitans: «Demens est: quid vultis?»

Tandem ut remedium contra hystericam puellae suggessit: «Nube et morbus effugiet»; sic enim legerat in pluribus theologiae moralis manualibus antiquis et etiam recentioribus. Lucretia consilio cessit, at in matrimonio, a viro despecta et saepius increpata, graviores experta est morbi manifestationes et vita coniugalis difficilis evasit. Quare cum suo confessario conquesta est. Qui mente revolvens, quaerit:

1. Quid de iudicio, ut supra prolato, de Lucretiae actuum imputabilitate.
2. Quid de consilio dato et de eiusdem consecrariis.

Solutio

106 *Ad Ium.*— Praemittamus Lucretiam vere hystericam esse, nam omnia quae confessario narrat habentur ab auctoribus signa seu stigmata hysterae.

Praeceptum tamen Abbundius pronuntiavit a peccato mortali ipsam immunem. Nec eius ratio valet «Demens est», quoniam hystera differt a dementia. «Nec dementia, nec delirium, nec vesania (psychoneurosis) dicenda est» L Sed nec Abbundius inde tractat Lucretiam ut dementem, illi coniugium suadens, quapropter et concedens pro consensu matrimoniali capacitatem vel sufficientiam. De cetero Lucretia refert illas omnes actiones, licet a morbo impulsam, se scienter peregrisse.

Ulteriores propterea acclarationes debuit Abbundius postulare unde cuiuslibet actus circumstantias detegens usque ad iudicium prudens procederet. Hoc autem si facilius po-

¹ Pujiula, l. c., n. 144.

tuit sibi efformare absolutorium, nempe a gravi reatu, tum de mortis simulato periculo, tum de commentitiae visionis relatione, non ita facile de falsa denuntiatione sacerdotis ad vindictam sumendam de eius dubio.

Benignam attamen quam, omnibus perpensis, sibi forsitan partialem aut totalem protulit sententiam, non expediebat Lucretiae patefacere, ne audiens libertatem taliter diminutam puella posthac omittat resistantiam quamvis opponere suis pravis propensionibus L Debit, e contra, Lucretiam obligare ad falsam denuntiationem retractandam—nisi is cui denuntiatio facta, conscius hystericismi denuntiantis, nullam omnino ei fidem adhibuerit—; quoniam Lucretia tenetur impedire damnum cuius causam, vel sine culpa, posuit.

Ad Illum.— Consilium datum puellae «Nube et morbus 107 effugiet» prorsus ineptum fuit, quem ad modum eventus patefecit 1. Id tamen quoniam Abbundius dedit bona fide, absque culpabili ignorantia, «sic enim legerat in pluribus theologiae moralis manualibus antiquis et etiam recentioribus», non imputatur ipsimet ad culpam; nec imputantur ideo iam irremediabilia consectaria.

Melius tamen egisset mittens puellam hystericam ad medicum probum et peritum. Verbo siquidem Capellmann³: «Curatio hystericorum, etiam tum cum perversae eorum cogitationes imprimis ad fervorem religiosum referuntur, ad clericum tamen omnino non spectat.»

Quod si ob inopiam talis medici Abbundius vellet iterum 108

1 Ferreres, *Th. Mot.*, I. 73. ed. 1932.

2 cNotetur matrimonium non curare hystericam, ut aliquando consulunt medici, sed saepissime contrarium locum obtinere, cum matrimonium aggravet statum nevrosis» (Antonelli, *Med. Past.*, II, p. 183 in nota, ed. 1932).

3 Capellmann, *Medic. Past.*, ed. 4 lat., p. 59.

opportuna consulere remedia, audiat quae a peritioribus passim indicantur, noxia nemini: «Principale remedium pro hysterico erit, imaginationis, quoquo modo possibile sit, sedatio»¹; «Remedia vero duplicis sunt generis: physica, quae sapiens medicus praescribet, v. g. physicae exercitationes, assiduus, etsi moderatus, labor; et spiritualia, praesertim vero conatus satis constans ad vana phantasmata statim compescenda, et passiones refrenandas, dum hysterici sunt sui compotes»²; «Omni prudentia, omni patientia omnique firmitate (confessarius) satagat ut abnormalis egoismus personae hystericae abstergatur; suadeat distractiones et delectationes honestas; nimia exercitia pietatis et mortificationis ne permittat; praecipiat autem imprimis opera misericordiae et caritatis erga proximum. Huiusmodi vivendi ratione ac agendi paulatim hysteria cessabit vel saltem tolerabilior evadet»³.

Alii casus.

109 C. II.— Lucianus operarius, qui iam diu pessimum blasphemiae habitum contraxit assidue, dum confessionem instituit cogitur huiusmodi peccatum accusare. Asserit nihilominus se in huiusmodi verba praecipiti animo, quin ad eorum attendat significationem, ex ira in creaturas, irrumperere.

Sol.—Ad rem S. Alphonsus: «Hi male habituati, licet habeant cognitionem minus vivacem quam alii, qui usum blasphemandi non contraxerunt, tamen semper habent eam actualem cognitionem sufficientem ad hoc ut actus sit deliberatus et graviter peccaminosus. Cum enim ipsi tanti non faciunt peccatum, ideo in suo animo nullum huius sceleris

¹ Pujiola, l. c., n. 145.

¹ Tanqueray, l. c.

³ Primmer, l. c., n. 98.

sensum experiuntur, sicuti perciperet alius qui esset conscientiae non tam depravatae; et hinc oritur quod in eorum mente ne signum quidem remaneat actualis cognitionis, quam in peccato habuerunt; aut si vestigium aliquod cognitionis relinquitur, est ita leve ut interrogati faciliter respondeant se non animadvertisse. Sed diligens confessarius nullam in hoc debet eis praestare fidem; et neque debet ab his sciscitari an adverterint necne, sed accipiendae sunt omnes ut verae blasphemiae actuales, semper ac ipsi sciebant tales esse» J. Et alibi: «Huiusmodi peccatores male habituati, quamvis habeant cognitionem minus expeditam quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales. Cum enim ipsi parvipendant peccatum, non fit in eorum animis illa sensibilis et memorabilis impressio quae fit in alio habente conscientiam minus depravatam: et hinc evenit quod in eorum memoria non remanet vestigium actualis illius cognitionis quam satis habuerunt antea de peccato; aut vestigium adeo leve, ut interrogati de facili respondeant quod non adverterint: sed cautus confessarius non debet ipsis fidem praestare» 2. Denique: «Nec facile confessarius credere debet paenitenti qui se excusat peierasse, blasphemasse vel verba obscoena protulisse sine advertentia, et involuntaria tamquam ex habitu. Nam si habitum illum extirpare non studuerit aliqua adhibendo remedia, tunc est voluntarius in causa cum peierat, blasphemat etc.; et ideo non excusatur a culpa. Secus vero, si adhibitis diligentibus inadvertenter blasphemat, in obscoena prorumpit, et similia agit» 3.

C. III.— Margarita non sine multis lacrimis confessario 110 narrat se post dilectissimi filii mortem continuis angi du-

¹ S. Alphonsus, *Praxis*, n. 31, ed. Gaudé.

³ Id., *Th. Mor.*, V. 4, ed. Gaudé.

¹ Id., *ib.*, V. de actibus humanis, XIV. ed. Gaudé

biis contra fidem, quae, licet inepta agnoscat, nescit tamen e mente pellere; quin immo, quo magis studet animum alio vertere, eo magis eadem menti insident. Item crebris ideis blasphemis torquetur ac violentissima suicidii obsessione.

Sol.— Quae paenitens Margarita de dubiis in fide narrat, ea, prae oculis habito peculiari adiuncto, sc. morte eius dilecti filii, originem sat probabiliter ex manca religiosa institutione ducunt; eo vel magis quod paenitens non dicitur dubia contra fidem e mente *non posse sed nescire* repellere. Quare hac in parte ideae obsidentes facile curantur si confessarius paenitentem ea, quae divinam providentiam spectant, edocet. Peccatum utique formale ex modo confitendi paenitentis non apparet, quamquam fortasse dubia initio in culpa esse potuerunt, quae tamen, quantum ex paenitentis indole in casu proposita conici potest, gravis non fuit.

Altera pars casus exhibet ideas obsidentes, quae cum metu actuum ponendorum iunguntur, de quibus paenitens, quam diu eae in morbum non degenerant, asseveranter certior facienda est eam neque actus huiusmodi aliquando posituram esse neque ullo modo ideas illas ad peccatum eidem imputari.

Sic hunc casum tolvit Ivlarlaskaj L

- 111 C. IV.— Lucilia, femina inupta atque piissima, saepe dum noctu evigilat se in vehementi excitatione reperit, quae est praecipue sexualis et afficit totum systema nerveum. Si passive se habet, excitatio non pertingit ad pollutionem, sed perdurat per plures horas, per totam noctem, immo per plures noctes. Has igitur cogitur ducere insomnes. Ideo nec potest per diem laborare; immo continuo agitata, nec orare. Quando tamen excitatio pertingit in pollutionem, tunc redit quies nocturna atque diurna. Confessarius, certior factus quod in Lucilia non sit periculum consensus, ipsi suadet ut

etiam plene compos adhibeat manuum comprehensionem ad ubera et etiam crurium motus (his enim mediis noverat eam semisomnem immediatam pollutionem procurasse), unice tamen intendens liberari ab illa abnormali et damnosa nervorum excitatione per pollutionem et explicite exclusa omni intentione et complacentia in delectatione venerea quae pollutionem comitatur.

Sol.— Haec confessarii agendi ratio est prorsus reprobanda. Non enim licet, ob rationes quantumvis graves, voluntarie augere excitationem sexualem involuntarie exortam, etiamsi nullum sit periculum consensus. Adeat potius Lucilia medicum pium ac doctum.

VII. IMPUTABILITAS PROPRIAE ACTIONIS VEL
OMISSIONIS EARUMQUE EFFECTUUM

Doctrina

Imputabilitatis nomine venit humani actus (vel omissio- 112
nis eius) proprietas, vi cuius actus (vel omissio) eiusve effectus homini tribuitur veluti auctori et domino x.

Possunt ergo homini imputari: actio vel omissio propria et effectus sive actionis sive omissionis; in his effectibus, actio quoque vel omissio aliena 13

Ut actio propria alicui imputetur, eam oportet esse volun- 113

1 Differt imputabilitas cum a responsabilitate tum a moralitate; a responsabilitate quidem, nam imputatur actus vel omissio, dum responsabilis est homo; a moralitate praecipue, quoniam imputabilitas respectum ad voluntatem nominat ex qua homo lit dominus suorum actuum, moralitas autem dicit respectum ad rationem. 1>oni atque mali regulam.

3 Actio vel omissio aliena nobis imputatur propter cooperationem, propter exemplum—aedificationem vel scandalum—et propter fraternam correptionem praetermissam.

J
f
tariam. Et imputatur quidem ad bonum secundum omnes eius notas quae ingrediuntur obiectum voluntatis; imputatur autem ad malum secundum notas quoque quae cognoscuntur circumstare obiectum. Hinc eleemosyna facta religioso quatenus pauperi, habet bonitatem misericordiae, non religionis; fornicatio vero cum moniali, etsi quatenus femina, induit malitiam sacrilegii.

Ut omissio propria sit voluntaria, praeceptum non requiritur ponendi actum, sive agatur de *velle nōi* (v. gr. volo non audire sacrum), quia tunc omissio est volita; sive agatur insuper de *non velle* (v. gr. nolo sacrum audire), quoniam et tunc omissio valet esse a principio intrinseco cum finis cognitione; requiritur et sufficit quem posse actionem ponere eamque scienter omittere. Ut imputetur tamen in bonum, oportet eam esse volitam sub ratione boni; ideo ieiunium non imputatur avaro in laudem, qui alteram omittit refectionem ob inordinatum ditescendi appetitum. Ut imputetur, denique, in malum, omissionem necesse est fuisse prohibitam (seu actionem, quae omittitur, praeceptam): ubi nullius praecepti adest transgressio, malum morale nullum.

114 Effectus actionis, nempe voluntariae, potest sumi voluntarius in se sive directe, in quem voluntas fertur, uti in finem vel medium, quemque agendo causât; et tunc, praeterquam effectus, est etiam obiectum voluntatis. Potest ulterius accipi voluntarius in causa seu indirecte, quem voluntas scilicet non vult instar finis vel medii, qui tamen procedit a voluntate volente pariter atque agente id quod est eius causa; et tunc effectus venit circumstantia actus, circumstantia videlicet *quid*, ut distincta a circumstantia *circa quid* (137).

Actionis effectus voluntarius in se sive directe imputatur agenti in bonum et in malum: imputatur aegroti salus medico qui, ut mortem impediret, amputavit brachium gan-

graenosum; ei quoque imputatur homicidium qui alicuius intendens mortem letale vulnus intulit.

Actionis effectus voluntarius indirecte seu in causa non 115 imputatur agenti in bonum, cum ab ipso non sit intentus: ita nemo laudatur quoniam, solvens pretium necessariorum rerum, mercatorem ditat vel subleuat. Imputatur autem in malum, quoties actio se habet ad effectum uti causa per se (ipsum nempe producens virtute propria), tunc enim causa causae est et causa causati: qui letale configit vulnus est reus mortis subsequenter, hanc quantumvis non voluerit in se sive directe. Immo quoties actio se habet ad effectum (in confuso saltem praevium) uti causa per accidens (effectum scilicet producens ob interventum alterius causae), si aderat obligatio, ob vitandum effectum, actionem omittendi (quae fuit posita) vel adhibendi diligentiam (quae non fuit adhibita); sic pusillorum scandalum imputatur nobis cum tenebamur illud impedire, actionem sive omittendo (differendo, occultando) sive purgando a mali specie per productionem causae excusantis. Si tamen actio se habuerit ad effectum uti causa per accidens nec obligatio adfuerat sive omittendi actionem sive adhibendi diligentiam, effectus imputari nequit agenti in culpam—nam imputatur in sola causa quae in casu non est culpa: non enim peccat quatenus actionem ponit sibi licitam, neque quod non adhibet diligentiam quam adhibere non tenetur; sic scandalum non imputatur nobis quando actionem ponimus non vitatam eamque purgamus, explicatione data, a mali specie: scandalum est dumtaxat acceptum, quin sit a nobis datum.

Omissionis effectus imputatur in bonum si praevius fuit 116 et intentus; v. gr. si ex denegatione eleemosynae praevideo et volo pauperem valedicturum ebrietati, consequens sobrietas mihi in laudem imputabitur.

Omissionis effectus imputatur in malum si, aliquo modo

praevisus, evitari potuit (ut omissio sit voluntaria) pariter atque debuit, si adfuit nempe obligatio, ob effectum vitandum, ponendi actionem quae omissa fuit: navis enim submersio, oborta tempestate, non procedit physice a gubernatore non gubernante (causa physica naufragii una est procella), neque, secluso gubernandi debito, moraliter. Imputatur in malum pariter si, ob defectum vitandum, aderat obligatio illam adhibendi diligentiam quae non fuit adhibita. Alias non imputatur, cum nulla habeatur culpa in omissione sive actionis non praeceptae sive diligentiae non debitae.

117 Diligentia porro maior debita quo periculum est propinquius.

Ideo, prout Caietanus iam animadvertit¹ in quibusdam operibus, quae non habent periculum adnexum, is diligens est qui facit opus prout consuevit fieri, v. gr. pulsans campanas more solito, nullius neglegentiae reus est dicendus si alicuius mors, per accidens, ex pulsatione sequitur. In quibusdam autem operibus quae periculum adnexum habent sed remotum, is est diligens qui sic opus disposuit atque facit ut illa circumspiciat quae rationabiliter considerari debent, pensatis personarum, operis, loci temporisque conditionibus, seu qui opus disponit atque facit quem ad modum id prudentes disponere atque facere solent: fortuita etenim quae prudentes communiter non cogitant, non imputantur nobis cum eveniunt, homines enim sumus et humana ratione gubernamus nos pariter ac nostra². In quibusdam demum operibus quae periculum proximum adnexum habent,

¹ Caietanus, in *II-II*, 64, S, n. 2.

² Et interdum quidem post factum omnes dicimus diligentiam fuisse insufficientem et maiorem cautelam adhibendam. Sed hoc unum probat, prudentiam experientia ditescere atque expertos prae inexpertis esse cautiore. «Neque enim exacta diligentia exquiritur qualis a summa prudentia emanare potuisset: sed quae a communiter prudentibus emanare consuevit in huiusmodi negotiis» (Caietanus, l. c.).

diligens is est qui consilio proprio aut alieno praevio haec operatur removens periculi timorem h

Casus primus.

Michaël, ad lucrandum praemium ipsi promissum, tanta cum velocitate currum automovilem per viam solitariam duxit, ut tum vetula quaedam tum plures etiam gallinae machina contritae fuerint, quae ultimae totum patrimonium pauperulae viduae erant. 118

An debeat occisio vetulae et gallinarum Michaëli ut malum morale imputari.

Solutio

Si agebatur quidem competitio publica, diligentia certo 119 fuit adhibita quae adhibenda erat: qui has enim competitiones promovent curant quoque de debitis cautelis, de bona nempe dispositione machinae—quae ductori oboediat—et ductoris—qui potens sit machinam conducere—atque de alieno periculo elongando. Damnum igitur duplex consequens fuit omnino per accidens nec propterea debet Michaëli in malum morale, culpam seu peccatum, imputari.

Si agebatur autem competitio privata, diligentiae triplicis praedictae onus incumbit Michaëli. Et diligentiam quidem de alieno periculo elongando nonnullam iam adhibuit ex quo elegit solitariam viam. Num tamen diligentiam omnem tunc debitam, quam prudentes videlicet cursores in iis adhiberent circumstantiis, attenta condicione machinae et ductoris peritia? 120

1 Ad rem S. Alphonsus: «Quando quis dat operam rei licitae, et ex ea per accidens sequitur homicidium, iste excusatur, etiamsi illud praeviderit: modo non intenderit et sufficientem diligentiam posuerit ad illud evitandum.» (*Th. Mor.*, III. 398. cd. Gaudé).

Profecto si vel in ipsa solitaria via velocitas curruum definiebatur lege iurisque terminos Michaël transgressus est, praesumptio saltem stat adversus eum de negligentia theologica; qui de negligentia iuridica tenetur. Sed etiam ubi civilis lex velocitatem in tali via non limitet, hanc lex naturalis circumscibit.

Non potuit quidem Michaël praevidere gallinarum probabili occisione viduam fore adigendam extremae paupertati—casus admodum rarus qui ingrediatur regulas prudentiae—; potuit attamen et debuit praevidere in ipsa quoque solitaria via unum alterumve viatorem non facile conspicuum in insidiosis partibus.

In competitione ergo privata occisio gallinarum ac praecipue vetulae imputari debet Michaëli uti malum morale promissa diligentia debita in adiunctis: si prudentes videlicet cursores—competentes indices in causa—improbant Michaëlem quod ipse, plus minusve imperitus, talem machinam, ex parte deficientem vel effrenem, per viam quantumvis solitariam, tanta velocitate duxerit, tunc ipse proculdubio diligentiam debitam omisit.

Alii casus.

121 C. II.—Sedenti in confessionali Marcolino Godefridus accedit qui, inter alia, declarat se lapidem in avem proiecisit atque casu praetereuntem hominem occidisse; se pariter equitasse ferocem equum, at quamvis adhiberet diligentiam ad quodcumque damnum evitandum, equus effrenis forte factus est et conculcavit puerum in via. Estne in his casibus homicidii reus?

Sol—Respondent Salmanticensis: in primo quidem casu, affirmative, nisi exstiterit in loco solitario quando proiecit lapidem. In secundo vero, negative x.

1 Salmanticensis Mor., tr. 25. cap. 1, n. 133.

C. III.— Clericus atque laicus confessarium occurrunt 122
quod vacantes operi prohibito homicidium, non in se volitum, commiserint. Laicus enim vacabat open periculoso seu mortis inductivo. Clericus autem vacabat venationi clamorosae, contra praescriptum can. 138, et licet omnes diligencias adhibuerit, hominem attamen in silvae penetralibus latentem interfecit. Imputaturne ipsis homicidium?

Sol.— Ad haec Billuart: «Qui vacando rei illicitae et prohibitae, non quia est periculosa et inductiva mortis, sed ob alias rationes, si, adhibita sufficienti diligentia, occidat hominem, non est reus homicidii... Qui vacando rei illicitate et prohibitae, quia periculosa est et inductiva mortis, occidit hominem, reus est homicidii, si, non obstante diligentia adhibita, remaneat periculosa... Si autem talem diligentiam adhibeat quae periculum omnino abstergat, existimamus quod, in foro conscientiae saltem, non sit reus homicidii» h
Laico igitur nostro imputatur certo homicidium, nam effectus ingreditur rationem operis cui libere vacavit. Clerico, e contra, non imputatur, nam prouti Raffaelli 2 animadvertit, venatio clamorosa non est sacris canonibus clerico vetita propter homicidii periculum, sed propter decorem status ecclesiastici.

C. IV.— Confitendi gratia accedit Robertus ad sacer- 123
dotem eique pandit se bis a ferendo auxilio abstinuisse. Semel quidem ut Paulinus, qui in fluctibus periclitabatur, aquis immergeretur. Iterum etiam, cum videret Marcialem atque Cletum, qui primum de rebus politicis pacifice colloquentes, postea dissentire coeperunt, sic effervescere ut furentes tandem manus consererent; cogitavit ipsemet de colluctantibus separandis et vulneratione vel morte probabili evitanda ;

1 Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de iure, diss. 10, a. S.

a Apud Palazzini-de Iorio, *Casus Conse.*, I, 17.

non tamen ausus est, timens vulnerationem vel mortem propriam. Imputaturne Roberto mors vel vulnus subsecutum?

Sol.— In primo quidem casu, affirmative si tenebatur auxilium ferre; negative alias; etsi in utraque hypothesis haberet suffocationem Paulini volitam. In altero casu, negative, quandiu ad colluctantium mortem sive vulnus vitandum uno teneretur caritatis praecepto, quippe quod non obligat cum tanto incommodo.

- 124 C. V.— Godefridus petit a theologo quomodo imputentur sibi, confessario, errores quos committit ob negligentiam in deponenda ignorantia theologiae moralis.

Sol.— Quandiu illi errores maneant voluntarii in causa tantum et sequantur ignorantiam leviter culpabilem, imputantur ad culpam dumtaxat venialem—quamvis graves veniant ex sese—: non enim sunt magis voluntarii quam ipsa causa.

- 125 C. VI.— Properant ad theologum Mauritius laicus atque Iulius sacerdos quaestionem non absimilem proponentes. Mauritius enim petit quo tempore homicidium commiserit qui venenum alteri praebuit praevidens inde mortem securam; Iulius vero de momento interrogat quo peccavit sedens pro audiendis confessionibus conscius profecto de ignorantia atque praevidens se errores commissurum.

Sol.— Quoad affectum et inchoative, Mauritius peccavit homicidio ipsomet instanti quo venenum praebuit; quoad effectum et consummative, quando mors sequitur. Si haec non sequatur, ob interventum utputa medici, nec consummationi locus erit.

Iulius pariter peccavit inchoative cum pro confessionibus audiendis sedet; licet postea nullus accedat paemtens cui vel illicitam det absolutionem vel erroneum responsum.

V m . MORALITAS EX OBIECTO

Doctrina.

Moralitas definiri potest: modus actus humani (volun- 126
tarii, liberi), huius afficiens seu modificans entitatem phy-
sicam, prout videlicet signat actum qua relatum ad morum
regulas. His si conformis, dicitur actus bonus; si ab his vero
difformis, actus malus.

Cum operari sequatur esse, de bono atque malo in actio-
nibus loquendum est sicut de bono et malo in rebus. Res au-
tem dicitur simpliciter bona, dum habet essendi plenitudi-
nem seu perfectionem ultimam sibi debitam—v. *gr.* homo
physice est simpliciter bonus si habeat corpus et animam
cum omnibus suis potentiis, organis, membris integris—;
ita et humana actio dicitur moraliter bona si plene confor-
metur morum regulis; moraliter autem mala, si non plene.
Hinc effatum : Bonum ex integra causa, malum ex quocum-
que defectu.

Verum actio humana concreta, secundum individuum,
obiecto, et circumstantiis coalescit; erit igitur moraliter bona
si conformetur morum regulis quoad obiectum atque cir-
cumstantias; si vero quoad obiectum aut quandam circums-
tantiam a morum regulis dissentiat, erit moraliter mala.

Et obiectum quidem, conforme aut difforme morum re- 127
gulis, tribuere actioni humanae bonitatem aut malitiam mo-
ralem, hinc fit perspicuum quod humana actio est motus seu
tendentia ad obiectum sicut ad proprium terminum; motus
autem sive tendentia speciem a termino sortitur, ad quem
comparatur uti potentia ad actum, perfectibile atque deter-
minabile ad perfectivum et determinativum. Hinc occisio
innocentis, mala; honor parentibus, bonus.

Immo, nam obiectum convenit actui secundum suam speciem, abstractionis facta a circumstantiis—furtum, quocumque tempore, loco, vel intentione fiat, habet semper obiectum rem alienam—, actus specificatus ab obiecto dicitur bonus sive malus *ex genere*, genere pro specie sumpto—prout dicimus humanum genus totam hominum speciem—; sic elemosyna est actus bonus ex genere; furtum, actus malus ex genere.

Actus bonus aut malus ex suo genere obtinet ab obiecto non bonitatem vel malitiam quamlibet, sed bonitatem aut malitiam primam. In ipsis enim rebus naturalibus species confert primam bonitatem; et ideo primum malum in naturalibus contingit ubi res utputa generata non sortiatur formam generantis—v. gr. si homo generet monstrum loco hominis—, cum agens agat secundum propriam formam, hanc ut imprimat passo. Atqui ex obiecto actus humanus speciem recipit. Primum ergo malum in moralibus erit si actus versetur circa obiectum indebitum—ita occisio innocentis mala est, quippe qui mortem non meretur.

128 Ubi actus humanus, denique, obtineat ab obiecto bonitatem primam, adhuc potest deficere a plena bonitate sibi debita, ob malitiam circumstantiarum. Habentem tamen ab obiecto primam malitiam, circumstantia, quantumvis optima, nisi mutet materiam actus, non exspoliabit a malitia; quapropter finis operantis, tametsi bonus, impotens est qui auferat malitiam quae iam inest actui: ideo peccat peccato furti vel is qui furatur ut stipem tribuat communiter indigenti—finis non iustificat media.

Hinc, licet minor sit affectus ad malum penes volentem malum propter bonum, quam penes volentem malum non propter bonum—penes volentem furtum ad subveniendum indigenti quam penes volentem furtum ad ditescendum—, electio tamen mali propter bonum habet malitiam esentialem ab obiecto. haneque malitiam retinet quandiu est talis obiec-

ti; atqui malitia obiecti, manens in actu, dat essentialem malitiam actui; actus igitur est essentialiter malus.

Casus primus.

Dum Icarus aëronauta, tempore belli, terram hostilem 129 transvolat, machina eius aerea defectu quodam laborare coepit, ita ut Icarus ad machinam suamque vitam servandam in terram descendere debuisset: quo tamen in casu hostes eum mox interfecissent machinamque et documenta in ea inventa in damnum patriae adhibuissent. Quapropter Icarus secum cogitat nonne melius sit explosione machinam destruere, vel saltem non descendere, ita ut machina ex se pereat. In utroque casu seipsum gloriosae morti pro patria devoturus est.

Quaeritur: Quae sit moralitas actus humani illius quo Icarus descendisset, vel illius quo machinam destruxisset, vel illius quo a descensu abstinuisset.

Solutio

Uti liquido constat, non agitur in prima hypothesisi de 130 suicidio: descendens in terram inimicorum, Icarus non se interimit, directe aut indirecte, neque prodit patriam; sunt hostes, e contra, qui ipsum occidunt atque machina et documentis abutentur in patriae damnum.

In altera vero et tertia hypothesisi suicidium agitur. Non aperte, facietenus saltem, directum, cum Icarus non ideo destruat machinam vel a descensu absteat ut moriens consequatur humanam gloriam vel effugiat mortem crudelior^{em} *; sed, prima specie quidem, indirectum: Icarus des-

 1 Suicidium directum, privata saltem auctoritate, numquam licet. Eius tamen malitia potest a quibusdam invincibiliter ignorari, in specia-

truit machinam vel a descensu abstinere ne machina et documenta veniant in manus hostium cum patriae damno, praevidens tamen sui interitum. Porro suicidium indirectum, etsi privata auctoritate, rationes proportionatae graves reddunt licitum.

Quaestio igitur prima in casu nostro est: Licetne Icaro machinam explosione destruere ne ipsa et documenta veniant in potestatem inimicorum qui illa et his abuterentur in patriae damnum, quamvis ex ipsa actione praevideat, quam non vult, sui occisionem? Et doctrinam si applicamus plurium Auctorum¹ dicendum est: Nisi machina et docu-

libus maxime circumstantiis seu adiunctis, v. gr. cum agitur de vitanda morte atrociori aut de vitanda infamia quae aestimatur peior ipsa morte (cf. 320).

¹ Ad rem Salmanticenses Mor.: «Esto consulendum in praxi non sit militibus, qui in bello navali hostes fugere non valent, navem incendere, ne tam ipsi quam divitiae in Turearum aut haereticorum manus deveniant; tamen contraria opinio est satis probabilis, maxime quando divitiis captis creditur hostes audaciores, uti et ditiores, fore» (tr. 25, c. 1, n. 123). Billuart: «Probabiliter excusandus videtur miles qui, in navi inimica positus, ignem in pulverem tormentarium inicit ut navis et hostes pereant, etiam cum certa sui internecone, si tamen inde sequatur patriae libertas; secus, si non sequatur, eo quod sint plures aliae naves hostium... In primo (enim casu) certa liberatio patriae est bonum quod praevalet vitae unius particularis, propter quod proinde potest permitti huius vitae amissio; secus, in secundo casu... Culpandus est e contra miles qui in propria navi inicit ignem in pulverem tormentarium. ne ipse cum navi veniat in potestatem hostium, si tamen maneat in navi; quia quod non exponatur hostium ludibrio aut ab ipsis non interficiatur. non est sufficiens ratio ob quam ponat actionem de se sui occisivam» (*Summa S. Thomae*, tr. de iure, diss. 10, a. 3). Aertnys-Damen: «Licet militibus in mari bellantibus navem submergere vel incendere, ne in manus hostium veniat cum gravi detrimento patriae; quia hoc pacto pro bono publico mortem suam permittunt, non vero directe intendunt» (*Th. Mor.*, I, 567, ed. 1939). Merkelbach, denique: Ob bonum publicum possunt «milites non deserere locum assignatum, aut incendere navem vel arcem explodere ad submergendos aut delendos hostes, vel ne hostis ea potiatur cum gravi detrimento reipublicae» (*Th. Mor.*, II, 352, ed. 3).

Attamen Felici (apud Palazzini-de iorio, *Casus Conse.*, I, 12): «Ponamus nullum aliud medium ad salvandam patriam superesse quam

menta tanti sint momenti quod, ubi cadant integra in manus hostium, influant efficaciter in cursum sive fortunam belli, Icaro non licet, cum occisione sui, explosione machinam destruere.

Licebitne saltem Icaro non descendere ita ut machina ex 131 sese pereat? Id evidenter licitum quandiu destructio machinae licita ex modo dictis: minus etenim influit in sui necem omissio—quae est descensus—quam explosio—quae est machinae—. Num longe ultra? Si quae Auctores passim nos edocent[†] ad casum adhibemus, responsio negativa: mors

aëronavis destructionem et hanc destructionem necessario mortem ipsius aëronautae secumferre: licetne Icaro hunc actum ponere? Pluribus videtur huiusmodi incensio esse actus moraliter indifferens, ex quo directe sequatur machinae destructio patriaeque salus et solum indirecte mors aëronautae... Sed alii vix perspiciunt quomodo incensio sit causa directa tantum destructionis machinae et non aëronautae. Utcumque, data opinionum diversitate, huiusmodi actio Icari damnari nequit.»

† Billuart: «Si autem (miles, cuius navis periclitatur) exsiliat in mare, quamvis cum periculo submersionis, excusatur, quia tunc non censetur intendere suam mortem, sed potius se a morte per hostes inferenda defendere. Sic autem apprehendit sensus communis. Eadem ratione excusatur qui e turri incendio flagrante exsilit cum mortis periculo, quia secundum apprehensionem hominum, non censetur velle se occidere, sed potius dirissimum exustionis tormentum fugere; idque quodam naturali instinctu, quo bruta ipsa in talibus circumstantiis posita, idem agerent» (l. c.). Aertnys-Damen: «Licet, fervente incendio, si non suppetat alia evadendi via, e fenestra desilire, praesertim si appareat aliqua spes vitam salvandi; quia prosiliens directe non intendit mortem suiipsius, sed fugit tantum incendium, quae fuga est medium evadendi mortem duriolem» (l. c.). Tanqueray: «Ad vitandum mortis periculum certius, aut mortis genus crudelius, licet periculo vitae moraliter certo se exponere; ita e fenestra desilire licet, cum valde probabili vitae iactura, ad flammam fugiendas; e turri sese praecipitem dare, etiam cum certo mortis periculo, ad fugiendam atrociolem mortem quam actu illaturi sunt malefactores». (*Th. Mor.*, III, 272. ed. 1931). Rigidius Merkelbach: Licitum est «e fenestra desilire ad flammam actu ardentem fugiendas: dummodo tamen adsit spes evadendi, secus esset directa occisio quae eligeretur ut medium ad maius malum vitandum, eodem modo ac sumptio veneni» (l. c.).

enim ab hostibus futura, ex non descensu est praesens; dum mors illa probabilis, haec est omnino certa.

Si autem ponas quod volatum prosequenti Icaro spes affulgeat descendendi in desertum locum quo valeat se occultare indeque a morte eripi, forsitan et a captivitate; spes saltem machinam destruendi una atque documenta, tunc quidem ille teneretur volatum prosequi, at versaretur extra angustias quae sunt casus nostril.

Alii casus.

- 132 C. II.— Sequentium dubiorum solutionem Eligius vellet :
 1.^o) Si tyrannus minatur urbi excidium, haec nisi tradat ipsi innoxium occidendum, licebitne urbi tradere innocentem?
 2.^o) Num licitum sit, ex mandato auctoritatis publicae, directe eos occidere qui, quamvis nullum crimen morte dignum commiserint, tamen ob defectus psychicos vel físicos nationi prodesse iam non valent, eamque potius gravare eiusque vigori ac robori obstare censentur?

Sol.— Ad 1um. Disputatur. Alii negant civitati facultatem tradendi invitum, quia cooperaretur ad eius mortem. Alii asserunt, quia ipse se tradere tenetur et ideo, si culpabiliter recuset, non erit amplius innocens 1.

Ad 2um. Negative, cum sit iuri naturali ac divino positivo contrarium 3.

- 133 C. III.— Sententiam exquirat a theologo Gundisalvus circa quaestionem duplicem: 1?) Num liceat occidere furiosos,

1 «Licita dicenda est volatus prosecutio, tum quia, dum volatur, spes aliqua superest salutis, et ideo actio volatus ex obiecto mala dici nequit, tum quia si forte machina pereat, potest Icarus lapsus moderate (paracadute) uti. et si ipse moriatur, id certe non ei directe imputabitur. sed machinae sponte et infauste ruenti vel etiam umbellae lapsum contra spem non moderanti» (Felici, l. c.)

1 Cf. S. Alphonsus, *Th. Mor.*, III, 393, ed. Gaudé.

3 Ita S. Officium. 2 dec. 1940 (AAS 32 [1940], p. 553 s.).

rabidos, peste laborantes vel contagioso morbo, hoc scilicet fine ne aliis noceant? 2?) Num liceat parvulos occidere ad cautelam, ob iniuriam nempe ex ipsis, cum adoleverint, timendam, v. gr. quod tunc participes fient odii vel iniustitiae paternae?

Sol.— Ad 1am. Negative; nisi actu aliquem iniuste, licet materialiter, aggrediantur, cum tunc nempe illorum occisio legitimae defensionis ingrediatur terminos.

Ad 2am. Negative, nam, ut inquit Vitoria, «intolerabile est quod occidatur aliquis pro peccato futuro. Et praeterea sunt alia remedia ad cavendum in futurum ab illis, ut captivitas, exsilium», etc.¹; et iterum: «Ponamus quod nunc sunt innocentes in civitate; non nocent; sed si permittamus eos vivere, postea nocebunt. An liceat eos occidere?... Respondeo quod non licet, quidquid dicant milites» 2.

C. IV.— Duplex pariter dubium Secundianus proponit confessorio: 1um) Licetne puerum proicere ante lupos insequentes, qui secus plures alios essent devoraturi, aut proicere aliquos in mare ad alleviandam scapham secus mergendam? 2um) Licetne ad evitandam mortem fugere per arctam viam cum periculo conculcandi et occidendi parvulum in ea sedentem? 134

Sol.— Ad 1um: Ad primam partem, negative. Ad secundam, negative, pariter; nisi agatur de ultimis in scapham descendentibus qui sint causa cur haec mergenda sit: hi etenim soli sunt nocentes; reliqui innocentes. Ita Merkelbach 3.

Ad 2um: Nonnulli asserunt, saltem dummodo parvulus baptizatus sit⁴. Quidam autem distinguunt inter fugam ob mortem imminens ab iniusto persecutore seu aggressore

¹ Vitoria, *Relectio de iure belli*, n. 38, ed. 1765.

² Id., in *II-II*, q. 40, a. 1, n. 14. ed. Beltrân de Heredia.

* Merkelbach, *Th. Mor.*, II. 360.

« Cf. S. Alphonsus, l. c.

et fugam ob mortem imminemtem sive a iusto persecutore sive a causa naturali; liceitatem affirmant in prima hypothesis, ideo quod iniusta aggressio redundaret in fugientem una atque in parvulum; negant vero in altera, quoniam fugiens non haberet ius ad cruentam sui defensionem

- 135 C. V.— Elvira, cum graves ac continuas a marito molestias pateretur quasi sterilis et ideo responsabilis de non obtenta prole, cuius hic est maxime cupidus, recursum fecit ad fecundationem seu inseminationem artificialem et arte suscepto semine ignoti viri puerum pulcherrimum concepit ac feliciter peperit ut marito innotesceret sterilitate ipsummet laborare potius quam uxorem.

Sol.— Elvira graviter deliquit, cum ex ipsa naturae lege numquam liceat uxori semen recipere nisi a marito et quidem per copulam carnalem.

- 136 C. VI.— Confessario occurrunt Marcellus et Florentina paenitentes qui se de furto accusant. Haec est vidua paupercula atque candide aperit quod ne extrema fame conficerentur filii nonnullos panes furata sit. Ille vero dicit se ad succurrendum graviter indigenti magnam pecuniae summam abstulisse.

Sol.— Florentina nullatenus peccavit, cum in extrema necessitate omnia communia fiant, nec propterea ageretur de ablatione alieni. Sed Marcellus obiective peccavit, quoniam gravis necessitas non efficit communes pecunias cuique proprias; hinc damnata fuit ab Innocentio XI propositio: «Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi» (Denz., 1186).

1 Cf. Prümmer, *Th. Mor.*, II. 132. ed. 1928; Merket.bach, l. c.

IX. CIRCUMSTANTIARUM INFLUXUS IN ACTUUM
MORALITATEM

Doctrina.

Dicuntur actus humani circumstantiae ea quae, cum sint 137 actui extrinseca—extra substantiam vel essentiam actus—, actum tamen attingunt ex parte tum ipsius actus, tum causae, tum effectus. Ex parte quidem ipsius actus, nunc per modum mensurae: tempus et locus, seu *quando* et *ubi*; nunc qualitatis instar: modus agendi, id est *quomodo*. Ex parte vero causae, modo finalis: propter quid vel *cur*; modo materialis: *circa quid*; modo efficientis, sive principalis, *quis*, sive instrumentalis, *quibus auxiliis*. Ex parte effectus, denique, *quid* x.

Quando ergo denôtat temporis quantitatem vel qualitatem—num diuturnum quis odium foverit, num in Parasveces die quis duxerit comoedias—; *ubi* importat qualitatem loci—num luxuria consummata fuerit in ecclesia—; *quomodo* peculiarem exprimit modum in agendo—remisse, intense, ex passione, levitate, ignorantia, vi, metu, contemptu—; *cur* finem significat agentis, superadditum fini operis—penes illum cogita qui rem alienam subripit ut se inebriet—; *circa quid* signat obiecti quantitatem vel qualitatem—num furtum fuerit summae valde notabilis, num percussus fuerit clericus—; *quis* dicit specialem agentis condicionem—num fornicationem coniugatus fecerit—; *quibus auxiliis* indicat media adhibita ad actuum perficiendum—coactionem, puta, seu vim, dolum seu deceptionem—; *quid*, denique, stat pro ipsius actus sequelis seu effectibus—num blasphemia prolata fuerit cum scandalo 13

1 Inter circumstantias non computatur *quoties* sive numerus actuum: secundus enim actus non est circumstantia primi, prout nec tertius secundi.

3 De circumstantiis *cur* et *quid*, infra (147 ss., 159 ss.).

138 Et actum quidem humanum esse bonum malumve ex circumstantiis inde facile constat quod, prout in naturalibus non tota plenitudo bonitatis physicae confertur a forma substantiali, sed quaedam indubie ab accidentibus—ita color et figura cooperantur ad perfectionem hominis—, sic in moralibus non tota bonitas descendit ab obiecto, sed aliqua superadditur circumstantiis. Erit igitur actus bonus qui debitas habeat circumstantias; sin autem, erit malus.

Porro nonnullae circumstantiae tribuunt actui specialem bonitatem aut malitiam specialem, novam scilicet consonantiam aut dissonantiam ad rationem: sic fornicatio cum moniali, oboedientia ex voto. Interdum et dant actui boni malive speciem, cum nempe accipiuntur ab agente ut obiecti condiciones praecipuae seu sunt intentae ab operante: sic praedicatio ad hominum plausum obtinendum. Quin propterea omnis circumstantia malitiam addens conferat actui speciem aut malitiam saltem specialem, cum non quaelibet circumstantia dicat dissonantiam novam a ratione—sic inferens mortem inimico peccat homicidio, minus tamen quam si inferret mortem crudelem—. Ideo signantur circumstantiae quae speciem mutant—facientes de indifferenti aut bono malum actum, de leviter malo malum graviter, de furto sacrilegium, de fornicatione adulterium—; quaedam vero (intra eandem actus speciem) aggravantes, notabiliter aut non notabiliter—ut furtum duorum millionum prae furto unius millionis, scandalum plurium prae scandalo paucorum h

1 Quoad peccata gravia, circumstantiae notabiliter aggravantes sunt «in materia quantitative, quae consistit in numero, pondere, mensura, illae quae seorsim sumptae et ab actu separatae sufficiunt ad peccatum mortale, v. g. si quis ultra 100 aureos furetur alios 100...; in aliis materiis (duratione, Intensitate, executlone), illae quae notabiliter excedunt modum ordinarium agendi in hisce materiis, v. g. si quis per annum perseveret in odio, aut tota nocte cum muliere in impudicitiiis» (Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 152, ed. 3). Quotiescumque talis excessus deest, circumstantia, unde locuples peccatum, hoc leviter dumtaxat aggravat.

Casus primus.

Accedens pro confessione annua, Quirinus sic se accusat: 139
 bis furtum grave feci et quidem pecuniae in uno casu, bovis
 in altero; blasphemias protuli frequentes tam in Deum quam
 in Sanctos, non exclusis Apostolis; saepe de turpibus locutus
 sum neque raro turpiter egi; interdum legem transgressus
 sum de festorum sanctificatione et de ieiunio. De his omni-
 bus, subiungit, sincere doleo et emendationem propono. Con-
 fessarius interrogat de peracta necne rerum ablatarum resti-
 tutione. Hanc, inquit Quirinus, iamiam feci, non tam ex do-
 lore de peccato quam ex timore vindictae. Tunc confessarius,
 salutaribus monitis praemissis, paenitentiam iniungit et abso-
 lutionem impartitur.

Num Quirinus satisfecerit obligationi confessionis, con-
 fessarius autem proprio muneri.

Solutio

Dixerat Cone. Tridentinum : «Ex institutione sacramenti 140
 paenitentiae iam explicata universa Ecclesia semper intel-
 lexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum
 confessionem, et omnibus post baptismum lapsis iure divino
 necessariam existere... Ex his colligitur oportere a paeni-
 tentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui
 discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri...
 Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in confessione
 explicandas esse quae speciem peccati mutant» (Dcnz., 899).
 Inde definivit: «Si quis dixerit in sacramento paenitentiae
 ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure di-
 vino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum me-
 moria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur,
 etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi prae-

cepta, et circumstantias quae peccati speciem mutant..., A. S.» (Denz., 917). In Codice Iuris Canonici legimus: «Qui post baptismum mortalia perpetravit, quae nondum per claves Ecclesiae directe remissa sunt, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet, confiteri et circumstantias in confessione explicare quae speciem peccati mutant» (can. 901).

Haec integritas, ut aiunt, materialis obligat primario atque absolute paenitentem; ipsum attamen confessarium secundario et condicionaliter. Legimus enim in Rit. Romano (tit. 3, c. 1, n. 16): «Si paenitens numerum et species et circumstantias explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.»

141 Porro quoad ipsamet peccata quae confessus est Quirinus non satis expressit circumstantias mutantem speciem.

Quoad binum quidem furtum, dum circumstantiae obiecti seu materiae (num fuerit pecunia, num fuerit bos) speciem mutant physicam, non moralem, quapropter neque necessario aperiendae erant, agebatur de furto aut de rapina?, fuit ipse solus auctor aut nonnullos coadiutores habuit? Quoad blasphemias: tametsi in Deum vel in Sanctos prolatae non differant specie, fuerunt blasphemiae simplices aut blasphemae quoque imprecatoriae? Turpes etiam sermones, habuitne Quirinus coram iunioribus, et ideo cum scandalo? Turpes eius actiones fueruntne luxuriae consummatae aut non consummatae, secum aut cum aliis, viris aut feminis, etc? Festorum ac ieiuniorum inobservantia importabat omissionem sacri aut laborem servilem aut utrumque?, transgressionem solius ieiunii aut etiam abstinentiae?

I
j
!
I
I
I
I

I /Ilii casus.

142 C. II.— Sophromo confessario varii generis occurrunt paenitentes. In his sacerdos qui se accusat quod et fornicationi

condescendit et quod iuravit falsum in iudicio. In his etiam Valentinus laicus qui pugnis clericum impetiit comitem episcopi, immo episcopum ipsum primam tentantem impedire aggressionem.

Sol.— Ob circumstantiam *quis*, sacerdotis fornicatio superinduit malitiam sacrilegii personalis; eius autem periurium non importat nisi circumstantiam aggravantem, id est periurium gravius, ceteris paribus, prae periurio laicorum. Ob circumstantiam autem *circa quid*, Valentinus peccavit, praeterquam iniustitia, sacrilegio; at sacrilegium commisit gravius percutiens episcopum quam simplicem clericum eius comitem.

C. III.— Annuam instituens confessionem se Tarquinius 143 accusat quod ut Lucretia frueretur vim adhibuit, dum alias quoque puellas expugnaverat importunis precibus. Insuper quod abstinentiae legem saepe transgressus sit, ipse quantumvis carnum non percupidus; quinimmo semel ob contemptum auctoritatis ecclesiasticae.

Sol.— Ob circumstantiam *quibus auxiliis*, Tarquinius est quoad Lucretiam reus stupri (43n), fornicationis nempe et iniustitiae; quoad alias autem puellas, reus est fornicationis aggravatae. Ob circumstantiam *quomodo* peccavit carnes edens in postremo quidem casu contra temperantiam et contra oboedientiam; in ceteris, contra solam temperantiam, etsi gravius quam si ex passione egisset.

C. IV.— Torquatus sacrista nonnumquam se polluit in ec- 144 clesia neque raro in ecclesia detractio vacavit. Smaragdus autem, eius parochus, feminam ad inhonesta sollicitavit in actu sacramentalis confessionis et quidem ipsomet die anniversario ordinationis suae sacerdotalis.

Sol.— Ob circumstantiam *ubi* pollutiones Torquati superinduunt malitiam sacrilegii localis; detractioes vero, si graves, graviores effectae. Ob circumstantiam *quando*, sollicita-

tio in actu confessionis habet malitiam, praeterquam luxuriae, sacrilegii et quidem realis, cum nefarie Smaragdus sit sacramento abusus—ultra malitiam sacrilegii personalis—; sed circumstantia diei est dumtaxat aggravans.

- 145 C. V.— *Se* confessario sistunt Euphrosyna atque Damasus. Hic furatus est rem sacram, at se accusat simpliciter se furto. Illa, cum sit Pancratii uxor, condescendit libidini Gerardi, viri Claudinae; declarat tantummodo se consensisse fornicario.

Sol.— Damasus peccavit contra iustitiam et contra religionem, neque propterea satis fecit accusans furtum, nam tenebatur accusare furtum sacrilegum. Copula Euphrosynae cum Gerardo, praeterquam fornicaria, est ex duplici capite adulterina, cum sit contra iustitiam debitam viro proprio atque uxori Gerardi; confessio igitur facta caret integritate debita.

- 146 C. VI.— Paschasius iuvenis in turpe peccatum lapsus est tum cum propria sorore, tum cum consobrina germana, tum cum uxore fratris sui; confitetur autem se cum tribus feminis sibi coniunctis egisse turpiter. Pluries quoque est imprecatus patri, fratri, consobrino, avunculo et ipsi confessario; declarat autem imprecationes quin earum exprimat qualitatem.

Sol.— Respondet Ferreres: Quoad peccata turpia debuit profecto accusare saltem adulterium, cum uxore scilicet aliena, fratris sui nempe; probabilius debuit quoque accusare incestum cum sorore; verum gradus consanguinitatis, quoad consobrinam, et affinitatis, quoad fratris sui uxorem, probabilius est dumtaxat circumstantia aggravans. Quoad imprecationes, debuit saltem declarare aliquas prolatas fuisse in patrem atque fratrem, quippe quae sunt contra pietatem, praeterquam caritati contrariae \

& Ferreres, *Casus Conse.*, II, 504-506, ed. 1926.

X. ACTUUM MORALITAS EX FINE

Doctrina.

Inter circumstantias supra (137) signatas, finis est prae- 147
cipua: nam actus dicitur humanus quatenus voluntarius,
sed finis est obiectum voluntatis, hanc movens ad agendum
—actus, aliis verbis, dependet a fine operantis secundum
esse, cum agens non agat nisi propter finem; ergo et depen-
det ab ipsomet secundum bonitatem vel malitiam.

Iamiam profecto constat (128) bonitatem sumptam ex fine
destrui totaliter malitia quae inest actui ab obiecto: quam-
vis affectus etenim ad mendacium minor sit penes mentien-
tem ad salvandum innoxium quam penes mentientem ob
mentiendi libidinem, prolatio ipsa mendacii, etsi ad salvan-
dum innocentem, habet malitiam essentialem ob obiecto. Im-
mo, quantumcumque actus qui dicitur intentio valeat esse
moraliter bonus—penes illum puta qui proposuit innocentem
salvare priusquam eligeret mendacium ut salvationis me-
dium, immo priusquam de mendacio cogitaret—, mendacii
sive electio sive prolatio sunt actus assentialiter pravi.

Sed quoniam diximus (138) actum ex obiecto indifferen- 148
tem vel etiam bonum reddi posse malum ex circumstantiis,
oportet perpendamus num malitia quae est finis auferat in-
differentiam quae inest actui ab obiecto, num et destruat
quoque bonitatem actui ex obiecto propriam.

Porro malitiam quae est ex fine reddere pravum actum
indifferentem ex obiecto liquet satis: sicut enim, penes men-
dacium proferentem ad obtinendum consensum fornicarium,
mendacium induit fornicationis malitiam superadditam; ita,
penes incedentem ad fornicationem perpetranda, inces-
sus obtinet ab intenta fornicatione malitiam primam.

Liquet pariter bonitatem quae inest actui ex obiecto destrui penitus ob malitiam quae est a fine totali actus: tunc etenim obiectum, etsi bonum secundum se, tamen quatenus volitum est malum—est siquidem volitum uti medium ad malum, quapropter sub ratione mali.

149 Dubium residuum igitur: num malitia ex fine partiali destruat totam bonitatem quae actui est ex obiecto et ex alio partiali fine.

Porro finis partialis malus valet intellegi antecedens, comitans et consequens executionem actus.

Si quidem consequitur, partem executionis nempe—dum actus est protractus—, praecedentem partem servat integram—in quam influit nullatenus—, posteriorem autem—in quam influit—finis hic antecedit, quapropter unam obtinet cum fine antecedente parem fortunam.

Si comitetur vero executionem, tunc circumstantia venit accidens agenti potius quam ipsi actui: agens agit, puta, *cum* vanagloria, non *ex* vanagloria, actusque totaliter est bonus, quamvis agens peccet—sic dum medicus cantat durante operatione chirurgica, cantus non afficit operationem sed dumtaxat medicum; prout dum servus murmurat de domino pro quo tamen laborat, murmuratio afficit quidem servum quin laborem afficiat.

150 Si denique partialis finis malus antecedit executionem, tunc aut intentio huius finis pravi retractat finis boni intentionem et fit executionis causa totalis, quo certe in casu actus est totaliter malus; aut non retractat finis boni intentionem, cum qua potius cooperatur ad unum actum—sicut duo equi trahentes currum—, et tunc nonnulli quidem pronuntiant actum malum totaliter cuius finis partialis sit graviter pravus; ut plurimum tamen hodie admittitur finem partialem malum venialiter non totam corrumpere bonitatem

actus, qui propterea est dicendus partim bonus et partim malus.

Demum si quae vocatur finalis causa, potius quam causa, 151 veniat dumtaxat occasio actus, tunc malitiam nullam confert actui, quippe in quem non influit.

Casus primus.

Cleophas, vir ditissimus, ingentem pecuniam impendit 152 quibusvis Actionis Catholicae operibus, idque tam ex intimo quodam sensu religioso quam etiam ex secreto quodam desiderio obtinendi tandem aliquando a S. Sede insigne pro Ecclesia et Pontifice. Insuper saepius per hebdomadam devote S. Missae assistit; idque ideo ut a parochi suo melior Christianus aestimetur quam coram Deo se novit. Tali enim modo sperat se facilius honorificentiam illam pontificiam esse obtenturum; secus diebus festis tantum Ecclesiam aditurus.

Quid dicendum de actibus Cleophae?

Solutio

Favor imprimis quem Cleophas impendit Actionis Catho- 153 licae quibusvis operibus non est malus totaliter: etsi moveatur siquidem secreto desiderio obtinendi praemium temporale seu honorem humanum, indeque forsitan peccet ambitione, nempe venialiter; id tamen agit quoque ex intimo sensu religioso, seu ob motivum parziale bonum.

Quod attinet ad auditionem Missae, liquidum est omnino haec ubi coangustetur ad dies festos nullo partiali fine deturpari. Auditionem vero frequentiore Cleophas fatetur voluntam ob honorem humanum et ad parochi deceptionem. Sed demus appetitum illius honoris esse peccatum veniale—potest siquidem nullum esse peccatum—, et demus decipiendi intentionem esse leviter malam—nam potest a peccato va-

care, si aestimatio quaesita ad sacri frequentationem mensuranda sit, quoniam tunc Cleophas non simulat personam melioris, sed revera est melior—; adhuc non constat duplicem huiusmodi finem pravum esse finem totalem sacri frequentationis, quoniam non modo assistit Missae sed assistit *devote*. Si agitur propterea vera devotio—id est actus internus, qui latet parochum et Ecclesiam—, motiva allata non sunt revera finis totalis, neque propterea vitiaretur actus ex toto. Si tamen ageretur devotio mere externa, tunc quidem illa motiva essent causa totalis, et ideo, si moraliter mala, vitiarent totum actum.

Alii casus.

- 154 C. II.— Ut vindictam sumeret de inimico, Gervasius in proprio quidem fundo foveam fodit, quo ille ignarus cadat et crus frangat. Ut famulum, e contra, sibi devinciat et adiutorem habeat in fraudibus, hunc ipse Gervasius cumulat muneribus.

Sol.— Intentio de sumenda vindicta reddit malam fossionem foveae, de se (cum sit in proprio fundo) indifferentem. Muneribus quoque famulum ditare non est malum; verum intentio alliciendi ad peccatum proculdubio est mala et corrumpit munerum donationem.

- 155 C. III.— Aristides largitur pauperibus non parvas eleemosynas ipsos ut avertat a vera fide; horum perversionem ut praepediat Vincentius praedicationi insistit catholicae doctrinae, at si semper sermones exorditur ut Christo animas vinciat, non raro, videns se auditoribus placere, sermocinari pergit ut humanum dumtaxat consequatur plausum.

Sol.— Ob finem graviter pravum, eleemosyna, de se bona, fit in primo casu graviter mala. In alterius casus adiunctis, prior concionis pars fuit moraliter bona; posterior vero mala, ob vanam gloriam.

C. IV.— Silverius, priusquam pergeret in ecclesiam pro 156
sacro audiendo, statuit secum stipem 100 francorum pro ne-
cessitatibus conferre divini cultus; verum quando collecta
intra Missam fit, quoniam praeter expectationem fit ab ipso
parcho, stipem 500 francorum confert ut a parcho existi-
metur quasi ecclesiae benefactor insignis. Quondam etiam
sese determinaverat ad subveniendum pauperi propter Deum,
at eleemosynam de facto confert quoniam exquisita fuit co-
ram hominibus, ut ab his honorificetur.

Sol.— Eleemosyna data ecclesiae remanet bona quoad
quantitatem primo definitam; fit autem mala quantum ad
quantitatem superadditam. Quoad eleemosynam factam pau-
peri, intentio praevia, bona; actualis et exsecutio, malae.

C. V.— Sincere et principaliter Eugenius vult Missae as- 157
sistere; simul autem atque secundo, turpiter, durante sa-
cro, concupiscere adstantem pulchram feminam. Ex sincero
quoque misericordiae affectu vult conferre pauperi eleemo-
synam, sed quoniam pauper ipsam petit publice, subintrat
vanae gloriae stimulus, qui non repellitur.

Sol.— Eleemosyna, pro Marc \ est partim bona et partim
mala, ob partialem finem leviter pravum; mihi tamen vana-
gloria videtur circumstantia agentis potius quam circumstan-
tia actus (149). Missae vero assistentia non est effecta totali-
ter mala, etsi Eugenius mortaliter peccet contra castitatem,
ob pravum desiderium; ita Prümmer 2

C. VI.— Paterno, confessario in puerorum collegio, acce- 158
dunt Caius et Maglorius. Ille frequenter confitetur quoniam
id suis moderatoribus peracceptum novit; quotidie quoque
solet Missae assistere, exemplo consodalium, ne minus de-
votus videatur. Maglorius ita loquitur: Ad S. Communionem

Marc, *Inst. Mor.*, I, 306, ed. 1927.

Prümmer, *Th. Mor.*, I, 123, ed. 1931.

accessi unice ut placerem professori ad cerebro communicandum exhortanti.

Sol.— Quoad primum, Bucceroni: Cui confessiones neque sacrilegae neque invalidae fuerunt, nam bene potuit habere sincerum dolorem et propositum, etsi ad confessionem accederet quia id suis moderatoribus gratum noverat: talis enim vanae gloriae impulsus non afficit intrinsece ipsam confessionis substantiam, sed ad eam mere concomitante! et extrinsece se habet. Idem dicendum est de auditis sacris x.

Quoad secundum, Genicot: Si Maglorius in statu gratiae communicavit, vix continget nihil in S. Communionem intendisse quam ut professori placeret. Immo potius practice haec erit mera occasio qua alliciatur ad sacramenta suscipienda: quod colligere licebit ex confessione rite praemissa, e precibus ante et post Communionem fuis, etc. Nihil ergo mali in hac circumstantia habebitur².

XI. MORALITAS OB DUPLICEM EFFECTUM

Doctrina.

159 Quoniam diximus (138) actum habere moralitatem ex circumstantiis, inter quas effectus (circumstantia *quid*), quaeritur num si duplex effectus praevideatur secuturus, quorum unus bonus et alter malus³, actus contrahat malitiam huius,

² Bucceroni. *Casus Conse.*, I, 8. 1, ed. 1913.

¹ Genicot, *Casus Conse.*, 5, ed. 1928.

³ Prouti Vermeersch (*Th. Mor.*, I. 132, ed. 1926) animadvertit, non est confundenda quaestio de duplici effectu unius actus cum casu in quo unus actus, potius quam effectum utrumque (unum et alium, bonum et malum), potest causare effectum utrum (unum aut alium, bonum aut malum), v. gr. cum venator sagittam mittit in rem quae forsitan est cervus et forsitan homo; tunc enim homicidium non dumtaxat permittitur sed est volitum, quantumvis hypothetice, videlicet si res illa est homo.

atque propterea omittendus sit, aut e contra, licite ponatur. Agitur ergo regula, ut hodie dicitur, de voluntario indirecto seu in causa \

Regula sic contrahitur: Licet ponere actum bonum aut indifferentem cui duplex praevidetur secuturus effectus, alius bonus et alius malus, dummodo malus non sit medium ad bonum neque volitus et adsit ad eius permissionem proportionata causa. Prout enim cum actus est malus ex obiecto non fit bonus ex fine quamvis optimo, et ubi effectus malus fuerit medium ad bonum aut fuerit volitus ibi malum veniret obiectum electionis vel finis operantis sive proximus sive remotus, cuius propterea vitiaretur actus; et deficiente proportionata causa qua permittitur malus effectus non esset sufficiens excusatio a lege, puta iustitiae aut caritatis, qua tenemur vitare offensam Dei et nostrum proximorumque nocumentum; ita, e contrario, quoties actus non habeat malitiam ex obiecto, hanc nec induat ex fine, et voluntas feratur in effectum dumtaxat bonum, malus imputari nequit agenti si, intercedente proportionata causa, lex qua teneretur hunc impedire cedit, utpote affirmativa, praevalenti legi, aut saltem iuri bonum effectum prosequenti.

Et ubi quidem agitur conflictus sive collisio legum, difficultas nulla: ceteris enim paribus, lex negativa vincit affirmativam, naturalis vero positivam, divina humanam, ecclesiastica civilem, atque praeceptum superioris maioris praeceptum superioris subalterni. 160

Sed ubi collidunt dumtaxat iura est magna difficultas in definiendo causam proportionatam. Non tunc profecto cum ob influxum in effectum malum, praecipue remotum vel per

1 Etsi communiter voluntarium indirectum sumatur hodie pro voluntario in causa, plures donarunt illo nomine id quod procedit a voluntate ut non agente—quod vero procedit a voluntate quatenus agente vocarunt voluntarium directum—. Cum de nominibus non sit disputandum, morem gerimus recentioribus.

accidens, actus vitiaretur venialiter: levis etenim causa sufficit ad legitinandum actum huiusmodi quem et effectus bonus consequitur, nam bonum ex se minus, propterea quod est proximum, compensat facile malum maius remotum. Cardo rei vertitur dum ob pravum effectum actus deturparetur graviter.

161 Dicimus ergo: ut adsit necessaria proportio, causa requiritur eo gravior quo effectus malus praevisus.

a) gravior est. Maior ergo causa requiritur ad permittendum damnum commune quam damnum individui, ad permittendam occisionem quam levem tantum vulnerationem.

b) propinquius atque certius sequitur ex actu. Maior ideo causa requiritur ad proximam quam ad remotam cooperationem in peccato; ad permittendum effectum malum qui sequitur per se quam qui solummodo per accidens; ad permittendum damnum certum quam dumtaxat probabile, vel periculum proximum quam remotum.

c) strictiori obligatione urget vitandus—non enim omnes leges uno rigore obligant—. Causa ergo quae sufficeret ad excusandam obligationem communem, utputa caritatis, non propterea sufficit ad excusandam obligationem peculiarem, v. gr. ex officio.

•

Casus primus.

162 Georgium sacerdotem, quem moralis disciplinae studiosum novit, Lucius, qui solet montium ascensus una cum sociis tentare, sollicitus adit, morale atque certum iudicium de hoc casu ab eo exquirens.

Quandoque, cum huiusmodi ascensiones a pluribus fune inter se coniunctis tentantur, accidit ut primus, prae frigoris vi aliave de causa aliorum pondus sustinere nequeat, ita ut,

nisi velit et ipse per praecipicia et praerupta cum ceteris dei-
ci, funem resecare cogatur aliorumque ruinam permittere.

Solutio

Duo hic summopere distinguenda sunt: num liceat as- 163
censionem montium tentare cum periculo mortis, propriae
aut sociorum; et num, dum ascensio fit, liceat in adiunctis
casus resecare funem.

Quod ad primum attinet, suppono ad incurrendum mortis
discrimen non sufficere rationem futilem, utputa vanam glo-
riam h lure Aertnys-Damen: «Graviter peccant illi qui le-
vibus de causis se coniiciunt in discrimen mortis, quales sunt
funambuli in altissimis locis super funem deambulantes, cor-
pusque volutantes, et alii similes circulatores; nisi viribus et
dexteritate adeo polleant, ut prudentis arbitrio non sit pro-
babile periculum mortis. Similiter viri audaces, qui ex teme-
raria sponsione et vana gloria ita agunt, puta in altum as-
cendendo, deorsum se demittendo, onera extraordinaria fe-
rendo», etc. 1.

Suppono pariter ad illud discrimen incurrendum sufficere 164
rationem boni communis. Ad rem Vitoria: «Navigatio etiam
pro tempore periculoso est utilis bono communi: ex com-
municatione enim nationum et provinciarum respublica

1 «Utraque divina lex interdicit, ne quis temere vitam proiciat suam,
gravi et manifesto obiciens discrimini, cum id nulla officii aut caritatis
magnanimae ratio suadeat» (Leo XIII, ep. *Pastoralis officii*, 12 sept. 1891;
Denz., 1939). «Vita est maius bonum quam bona temporalia, inter quae
gloria, honor et fama reponuntur. Cuncta enim quae habet homo, pro
anima sua dabit: omnia siquidem illa ordinantur ad vitam humanam sicut
ad finem... Unde non solum qui se interficiunt, sed qui sine alio titulo
ponunt vitam in magno periculo propter gloriam humanam, graviter de-
linquunt» (Vitoria, rei. *De homicidio*, n. 36. ed. 1765).

a Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 567. ed. 1939.

magna commoda accipit, e* in pace et in bello. Quare si propter periculum tempestatum homines deterrentur a navigatione, fieret magna iactura boni publici... Et eodem modo de exercitiis militaribus dicendum : omnino enim est necessarium reipublicae milites habere ad defendendam patriam, qui sine militari exercitio inutiles bello essent... Si non possent milites exerceri sine etiam magno et gravi periculo, non ideo omittenda essent bellica exercitia» h Si igitur ad patriae defensionem opus est milites summa montium cacumina occupare, etiam cum periculo vitae essent montium ascensiones tentandae.

165 Extra casum huiusmodi non est bonum commune ascensiones montanas consequens extollendum. Verum agitur privatum commodum, physicum, aestheticum et morale—plures enim Christiani educatores hos ascensus commendant—. Hoc qualecumque privatum commodum compensatne periculum adnexum ascensionibus? Demus periculum quod adest esse grave seu periculum mortis. At huiusmodi periculum non est proximum: sufficit cogitare numerum ingentem ascendentium et numerum exiguum victimarum. Infortunia quae contingunt satis rara; eaque potius quam montibus debentur praeparationi atque cautelae deficienti. Non ascensus ut plurimum, sed temeritas caeca condemnanda.

166 Si in ascensione tamen duci itineris id discriminis sit quod casus loquitur, ipse licite resecaret funem sociorumque permetteret ruinam. Funis sectio in adiunctis, praeterquam moraliter indifferens, habet effectum bonum, vitam propriam salvare, qui non ideo obtinetur quod alii pereant; sectio est directe atque immediate liberativa a pondere, a communi periculo; non nisi indirecte accelerativa consociorum mortis—non ideo se primus salvat quod mortem accele-

1 Victoria, *l. c.*, n. 32.

ret ceterorum, verum horum mortem accelerat quia se salvat x.

Perspiciuum tamen duco quod dux itineris debet sibi cavere cum quam minimo possibili ceterorum damno; potens igitur, dum funem resecat, alios admonere ut sibimetipsi quisque provideat, id omnino facere tenetur.

Alii casus.

C. II.— Iugi laborat Gervasius anxietate circa quaestio- 16"
nem duplicem: An liceat matrem in extremis positam occidere ut infans quem gerit utero baptizari possit; et an liceat sumere medicinam qua sive puella gravida procuret abortum et sic vitet infamiam sive mulier gravida, in periculo mortis constituta, se salvet mediante foeticidio.

Sol.— Negative; nam agitur occisio, abortus, foeticidium directum; effectus malus venit medium ad bonum.

C. III.— Theologum interrogant medicus et sacerdos. Pri- 168
mus, num peccet si vacat feminis medendis vel medicinae studio intentione fovendi cogitationes pravas simul atque sanandi feminas vel perficiendi scientiam. Alter, num peccet Eucharistiam porrigens peccatori occulto eam publice pe-
tenti.

1 Suppono adesse in casu duci itineris causam proportionate gravem ut permittat accelerationem mortis ceterorum, nam «salvare vitam hominis (suiipsius) est bonum quod longe excedit bono quod consistit in hoc quod duo vel tres homines per breve tempus adhuc maneant in vita, cito morituri» (Bender, in *Palestra del Clero*, 1 sett. 1956, p. 786).

Posset ulterius quaeri num id ipsum quod licet sit quoque obligatorium, seu num dux itineris, in adiunctis, funem resecare teneatur. Meo iudicio, motivum *solidarietatis* (uti vocant) non est sufficiens ad permittendam mortem propriam. Certe non agitur de debito iustitiae, ex contractu aut quasi-contractu: irrationabiliter enim essent inviti ceteri. Nec agitur actus caritatis magnanimae, quae si exponit vitam pro amicis, non tamen pro nemine. Exemplum heroismi, momentosum posteris, hic esset nullum: quis enim noverit ducis sacrificium fuisse voluntarium seu mortem evitabilem?

Sol.—Peccat quidem medicus, quoniam simul cum effecto bono habet effectum pravum vere volitum, nec dumtaxat permissum. At non peccat sacerdos, quoniam, vel abstractione facta a sigillo sacramentali, inviolabili, damnum publicum quod ex denegatione sequeretur longe super malum personale sacrilege communicantis praeponderat.

169 C. IV.—Protasius a confessario petit utrum praevidens mortem aggressoris iniusti licite quis defendat vitam propriam, immo bona exteriora exigui praetii?

Sol.—Affirmative ad primum, ideo quod vita propria sit, se defendenti, maioris praetii quam vita aggressoris. Negative ad secundum, quoniam vita proximi est pluris aestimanda quam illa bona.

170 C. V.—Sententiam exquirat confessarii Lucas medicus circa usum narcoticorum. Imprimis, an sit licitus prae chirurgica operatione, scilicet ne operatio impediatur vel ne patients doloribus angatur. Insuper, an permittendum sit sopire moribundos ut sopiti decedant gravium dolorum inexperti.

Sol.—Quoad primum, affirmative, nam rationis usum temporaneum amittere non est de se illicitum et adest causa proportionate gravis ad permittendam usus rationis privationem aliosve effectus physicos, puta levem intoxicationem, habitus periculum nonnullum. Quoad secundum vero, distinguendum: sopire moribundos non satis dispositos ad mortem est graviter illicitum, et ideo medicorum aliorumve industria est in casu impedienda; etiam bene dispositos sopire non est medicis permittendum, quoniam, praeterquam ignoramus qui sint bene dispositi, privatio vitae spiritualis non compensatur per tranquillitatem exoptatam; at si agatur de moribundis bene dispositis qui in periculo versantur committendi peccatum grave, nonnulli silentium seu tolerantiam probant coram praxi seu industria medicorum.

C. VI.— Licetne, cognatis postulantibus, cor defuncti pun- 171
gere ne hic fortasse vivus sepeliatur?

Sol.— Negative, quandiu non habentur mortis signa certa, quoniam tunc medicus vel chirurgus se periculo exponeret occidendi eum qui forsitan supervivit. Affirmative, si iam habentur signa certa mortis secutae, cum et tunc liceat, uti Fanfani loquitur \ hominem in tumulo recondere, etsi in tumulo suffocaretur qui revera est vivus.

C. VII.— Confessarius petit a theologo: num quae ratio 172
sufficit ad permittendum puellae famulatum in domo ubi a familiae alieno invitatur nunc et iterum ad luxuriam sufficiat quoque ad permittendum ipsi famulari domui in qua a filio-familias saepe allicitur ad eiusdem generis peccata; et num ratio excusans cauponem afferentem carnes hospiti diebus abstinentiae, ipsum excuset pariter carnes praebentem veritas propriis filiis.

Sol.— Negative ad utrumque. In primo quidem casu, quoniam, ceteris paribus, sollicitatae a familiae alieno est periculum remotum nec continuum, sollicitatae vero a filio-familias est periculum continuum atque proximum. In altero, quoniam caupo tenetur ad evitanda peccata hospitem solo praecepto communi, caritatis; ad vitandas vero filiorum transgressiones tenetur insuper speciali praecepto, pietatis nempe.

XII. MORALITAS EX CONSCIENTIA ERRONEA

Doctrina.

Conscientia moralis est applicatio scientiae sive notitiae 173
morum ad singularem actum moraliter acceptum, inde ut ap-

» Fanfani, *Th. Mor.*, II, 229.

pareat num bonus aut malus pronuntiandus. Ideo definitur: indicium seu dictamen practicum rationis de bonitate vel malitia nostrorum actuum.

Et si quidem actus agitur a nobis iam iam positus vel omis-
sus, conscientiam loquimur *consequentem*; si vero actus ver-
titur qui a nobis ponendus est aut omittendus, conscientiam,
contra, *antecedentem*.

Porro conscientiam consequentem non esse morum nor-
mam, actuum nempe moralium regulam, exinde constat li-
quido quod non influit in actum, iam praeteritum. Actus
enim morales voluntarii sunt, nihilque volitum quin prae-
cognitum. Quapropter D. Thomas: «Voluntas et actio non
informantur ex apprehensione sequenti, sed ex praece-
denti» x.

174 Verum antecedens conscientia, id est iudicium seu dicta-
men practicum rationis de bonitate aut malitia actus a nobis
ponendi aut omittendi, aliqualis iam elucet norma morum
inde quod bonitas atque malitia voluntatis sumantur ab
obiecto quatenus apprehenso, id est a ratione proposito. Si
ergo ratio proponat aliquid uti bonum praeceptum, voluntas
id contemnens contemneret bonum ac praeceptum; si ratio
quoque proponat aliquid uti malum vetitum, voluntas ipsum
prosequens prosequeretur malum et prohibitum. Se habet igi-
tur ratio vel conscientia inter legem et voluntatem quem ad
modum praeco inter humanum legislatorem atque populum;
prouti populus praeconis vocem, sic oportet ut voluntas se-
quatur dictamen rationis seu conscientiam.

At neque praeco legislator, neque conscientia est lex.
Conscientia non est moralitatis norma nisi subiectiva.

Ideo sicut praeco potest id edicere quod iniunxit vel non
iniunxit legislator—esse verax praeco et praeco falsus—,
sic et conscientia potest esse vera, dictans bonum quod re-
vera est bonum atque malum quod revera est malum, et po-

1 S. Thomas, in *Rom.*, 14, lect. 2.

test esse erronea, dictans bonum quod obiective est malum et malum quod obiective est bonum.

Conscientia erronea distinguitur: *a)* ex parte obiecti: 175
permittens, quae falso dictat aliquid electioni liberae relictum, utpote moraliter indifferens, bonum minus aut melius; *praecipiens*, quae falso dictat aliquid agendum quoniam bonum praeceptum; et *prohibens*, quae falso dictat aliquid omittendum quia malum prohibitum; *b)* ex parte autem subiecti: *vincibilis* sive voluntaria, quae cum morali diligentia vinci potest et ideo voluntarie non vincitur—voluntarie directe seu ex industria, aut voluntarie indirecte id est ex negligentia—; atque *invincibilis* seu involuntaria, quae morali scilicet diligentia vinci non potest—aut quoniam de inquirenda veritate nec cogitatio, saltem confusa, occurrit; aut quoniam post sinceram inquisitionem veritas non attingitur.

Porro conscientia vincibiliter erronea non excusat per- 176
petuo a peccato formali: voluntaria siquidem ignorantia servat effectum voluntarium in causa. Hanc igitur conscientiam permittentem sequi nefas, cum qui eam sequitur se voluntarie exponat periculo peccandi—putans se exemptum a ieiunio, nisi ieiunet, peccat—; nefas pariter agere contra ipsam sive praecipientem sive prohibentem, nam quis ageret quod iudicat illicitum—putans se adstrictum ut intersit sacro feriali vel ut abstineat a ludo die dominica, peccat sacrum omittens vel ludo indulgens—; quin hanc conscientiam sequi sit usquequaque licitum, sed tunc dumtaxat cum periculum peccandi abest—etsi peccet igitur qui mendacium profert pro innocente quod vincibiliter putat obligatorium et qui sinit inedia confici moribundum quoniam vincibiliter arbitratur furtum in his adiunctis vetitum; non peccat missam audiens quam erronee existimat praeceptam, nec abstinens a ludo quem erronee vetitum arbitratur.

177 Sed conscientia invicibiliter erronea excusat a peccato formali, nam moralitas voluntarium sequitur et ignorantia (unde procedit error), utpote involuntaria, causai involuntarium (73). Licet igitur sequi conscientiam invicibiliter erroneam permittentem—putans se excusatum a ieiunii lege est a peccato immunis non ieiunans—; praecipientem vero aut prohibentem sequi obstringimur—credens se teneri ad falsum proloquendum in gratiam innocentis, peccat nisi mentiatur; credens furtum in extrema quoque necessitate illicitum, peccat si tunc furetur.

Sed conscientia invincibiliter erronea, quamvis interdum officium pariat agendi ad ipsam consone, non propterea imponit officium ceteris ne obstent agenti seu ut permittant actionem; praeterquam etenim nullum est verum ius secutandi errorem, teneremur, alias, abstinere sive a repetendis rebus nostris quas possessor bonae fidei retinet, sive ab opponenda resistentia aggressori materialiter iniusto.

Casus primus.

178 Leofridus, confessionem instituens generalem, se accusat quod adhuc puer masturbationi induisent, idque nunquam esse confessum quia peccatum tunc non existimavit. Addit praeterea quod iam adolescens turpiter tetigerit consobrinam, et quod id confessus sit tantum generatim, omitteus consobrinae circumstantiam, quam non reputavit necessariam. Insuper ait quod cogitationes saepe malas animo nutrit, sed nec eas confessus est, putans per longum tempus peccatum adesse tantum in opere. Postremo confitetur quod in iudicium semel vocatus, licet iuramentum praestiterit de dicenda veritate, mendacium dixerit, idque tamen reputavit omnino necessarium ad salvandum amicum a diuturno diroque carcere.

Solutio

Quoad masturbationem praesumptio stat in favorem 179
erroris invincibilis penes puerum. Illas igitur actiones tur-
pes non declarans in confessionibus antea actis, Leofridus non
peccavit; sed nec tenetur declarare modo *.

Quoad turpes consobrinae tactus. Quamvis circumstan-
tiam consobrinae noverit, potuit errare Leofridus aut quia
putavit tunc circumstantiam nihil addere malitiae, aut quia
putavit malitiam quam novit superadditam non necessario
manifestandam esse in confessione. Error primus, facile in-
vincibilis, exemit adolescentem a formali malitia circums-
tantiae; quam propterea neque tenebatur neque tenetur con-
fessario aperire¹. Verum error alter, licet invincibilis, cum
non versaretur circa malitiam superadditam, sed circa ne-
cessitatem declarandi hanc cognitam malitiam, non prohi-
bit Leofridum ab ipsamet malitia contrahenda, sed excu-
sat dumtaxat, quandiu durat, a malitia contracta decla-
randa.

Quoad pravas cogitationes saepe nutritas animo nulla- 180
tenus censetur impossibile, neque quantum ad rudes im-
probabile, earum malitiam invincibiliter ignorari ad tempus;
et quandiu quidem malitia ipsarum ei ignota, eas ne impu-
temus Leofrido in peccatum, clavibus Ecclesiae subicien-
dum. Difficultas tamen est nonnulla in determinando tem-

1 «Pueri qui egerunt de se illicita sine ullo angore conscientiae vel
suspensione malitiae, re ipsa formaliter non peccarunt, etsi usum rationis
adepti iam fuerint; et proinde postea non tenentur ea confiteri, dum esse
illicita intellegunt, cum peccata materialia non sint materia confessionis»
(Ferrerres, *Th. Mor.*, I, 67, ed. 1932).

2 «Paenitens iure divino tenetur... circumstantias in confessione
explicare quae speciem peccati mutant, modo tamen specificas huiusmodi
malitias peccando cognoverit, ac proin contraxerit» (ex Normis Congr.
S. Officii, *De ratione agendi confessoriorum circa VI Decalogi praeceptum*,
diei 16 maii 1943; apud Fanfani, *Th. Mor.*, III, p. 357).

pore ignorantiae, in quo neque suspicio occurrerit malitiae, non obstante frequentia qua fideles audimus omnes peccata contingere opere et ore et corde, simul atque oramus pro peccatorum remissione quae commisimus cogitatione, verbo et opere. Orta siquidem suspicione, dubio praecipue, interrumpitur possessio bonae fidei donec, facta diligentia debita, error deponi nequeat; quo quidem intervallo, qui cogitationibus pravis morem gesserit a peccato non excusatur, in confessione igitur aperiendo.

Quoad periurium ad salvandum amicum. Periurium huiusmodi apprehensum fuit a Leofrido uti medium dumtaxat seu condicio sine qua non esset amicus liberandus, tametsi reus, aut uti medium moraliter quoque obligatorium ad salvandum amicum, innocentem. In prima hypothesis non excusatur peierans a peccato. In altera vero videtur laborasse conscientia, ut dicitur, perplexa, putans ex una parte veritatem urgere ob iuramentum; ex alia, contra, mendacium proferendum salvificum; quoniam actus instabat, non peccavit eligens quod aestimavit minus malum morale, peccasset tamen eligens quod aestimavit gravius.

A lii casus.

181 C. II.— Hortensius se in confessione accusat quod putans, licet erronee, urgere quadam die ecclesiasticam legem abstinentiae, potuit quidem de facili errorem suum deponere, sacerdotem interrogans quem pro rebus etiam nullius momenti vocat continuo ad telephonium; maluit tamen abstinentiam servare quam amico sacerdoti suam prodere ignorantiam.

Sol.— Hortensius non peccavit se accommodans conscientiae. etsi vincibiliter erroneae, ipsam enim sectatus nulli se commisit periculo peccandi, cum abstinentia a carnibus sit actus temperantiae, independenter ab Ecclesiae praecepto.

C. III.— Ranulphus librum legit quem erronee putabat 182
ab Ecclesia prohibitum sub poena excommunicationis latae
sententiae.

Sol.— Ranulphus graviter peccavit librum legens quem
arbitratur ab Ecclesiae vetitum sub gravi. Non tamen
incidit in excommunicationem, quippe quae lata est contra
legentes libros ab Ecclesia prohibitos reapse, non mere pu-
tative

C. IV.— A vinculis tandem absolutus, Venantius rediit 183
in proprios lares ubi, adveniente Paschate, in genua adstat
parochus pro confessione annua. Haec inter alia accusat,
quod nempe dum detinebatur sub custodia missam domini-
calem ter vel quater omisit ideo quod nemo sacerdotum
missam pro detentis celebraverit, nec hi permetterentur ad
ecclesiam publicam accedere. Parochus sciscitatur a Venan-
tio num putaverit se peccasse missas illas omittens.

Sol.— Haec quaestio parochi omnino inepta; agitur enim
aut conscientia consequens, non influens in omissiones illas;
aut conscientia antecedens, quae tamen efficere non potuit ut
omissiones involuntariae fierent voluntariae ideoque peccata.

C. V.— Primas quas passus est nocturnas pollutiones tam 184
gravia peccata iunior Castor existimavit ut prae verecundia
neque verbum dixerit in hebdomadariis suis confessionibus.

Sol.— Castor nullatenus peccavit nocturnas illas pollu-
tiones passus; eius namque conscientia erronea aut non fuit
antecedens, aut saltem efficere non potuit pollutiones mere
naturales converti in voluntarias; porro non nisi volunta-
riae dici possunt peccata. At peccavit quidem sacrilegio dum
ea quae peccata gravia putabat tacuit in confessione, quo-
niam conscientia, erronea quidem sed antecedens, urgebat
ad illa declaranda, quae voluntarie omittens egit contra con-
scientiam praecipientem.

185 C. VI.— Fulcus, communista in civitate notissimus, proprietatem privatam censet plane iniustam; ideo furatur ipse et amicos excitat ad furandum; contendit quoque irritas esse civiles leges quotquot latae sunt in latrones. Sed et inter catholicos spargit atheismum, atque denegat humanis legibus vim eius activitatem irreligiosam coarctandi.

Sol — Etsi denegans bona fide proprietatis ius nequeat ideo puniri legibus, potest attamen legibus adstringi ut se gerat quasi ius agnosceret; sic et negantes fornicationis intrinsicam malitiam possunt lege compelli ne fornicationem licitam proclamant vel fornicentur publice. Porro, quoniam lex huiusmodi est omnino iusta, inoboedientes legi iure quoque puniuntur.

186 Pariter, etiamsi humanae leges punire nequeant bona fide incredulum—puta qui baptismum non suscepit quique catholica dogmata invincibiliter putat falsa—, possunt attamen ipsum impedire ne errorem suum spargat. Sicut enim qui bona fide venenum putaret salutiferum ideoque conaretur id parvulis propinari et simplicibus, potest vel vi compelli ne venenum propinet; sicut qui, bona quantumcumque fide, commendaret praxim immoralem—v. gr. nudismum, adulterium, sodomiam—recludendus vi foret ne bonos populorum mores corrumpat; ita, immo a fortiori, qui nituntur fidem catholicam corrumpere impediendi sunt humanis legibus et propterea puniendi his nisi oboediant.

187 C. VII.— Ratus omnia et singula bella iniqua prorsus, Sebastianus recusat oboedientiam legi de conscriptione militum, quasi obiectio, ut dicitur, conscientiae ius conferret ut quis eximatur a militia.

Sol.— Conscientia huiusmodi est erronea. Vincibiliter, quidem, saltem pro catholico, cum ex traditionali doctrina Ecclesiae non omne bellum dicendum sit iniquum, et ideo ius sit piincipi bellum indicendi et advocandi subditos ad bel-

landum; huic autem iuri respondet officium subditorum ut conscriptioni pareant atque bellum gerant. Sed quantumcumque invincibiliter erronea Sebastianus conscientia laboraret, ipse non habet ius ut eximatur a communibus civium oneribus, quapropter a militia: error etenim, etiam cum caret culpa, non habet iura.

XIII. MORALITAS IMPERFECTIONUM

Doctrina.

Imperfectionem dicimus absentiam ulterioris perfectionis actui possibilis. Si absentiam involuntariam loquimur, imperfectio vocatur negativa; si e contra voluntariam, positiva imperfectio nominatur. Illius generis veniunt distractiones quas patimur orantes; huius vero, consiliorum transgressiones et omissiones deliberatae. 188

Et de imperfectione quidem negativa, cum voluntarii terminos exsuperet, fines ergo moralitatis, quaestio nulla; quae tota propterea coangustatur ad positivam imperfectionem.

Haec autem imperfectio potest inesse actui ex proprio huius obiecto, moraliter minus bono quam obiectum actus contrarii—sic dicimus virginitatem meliorem matrimonio—; ex fine quoque operantis, qui spe movetur praemii aut timore poenae—cogita timorem servilem et initialem—, aut agit ob honestatem naturalis ordinis—quem ad modum paganus pius erga parentes, misericors in proximos—, aut eli-

1 Definire imperfectionem negativam «carentiam bonitatis quae inesse non debebat», positivam vero «defectum bonitatis quae, sive ex debito stricte tali, sive ex convenientia inesse debebat», ut plures faciunt (v. gr. Vermeersch, *Th. Mor.*, I, 438, ed. 1926), est iam ab initio proclamare imperfectionem positivam esse peccatum, cum ponatur contraria debito; sed illud praecise est demonstrandum.

cit actum bonum sub influxu dumtaxat virtual! caritatis (30); ex aliis, denique, circumstantiis, v. gr. si quis breviarium recitet in hortulo—convenientior locus, ecclesia—, oret remisse—potius quam ferventer—, etc.

189 Suppono actum ex obiecto imperfectum sive minus bonum posse fieri malum. Ex circumstantia finis, proculdubio, cum intentio agentis, praeterquam actum bonum, ipsum quoque deturpare valeat meliorem actum. Ex aliis insuper circumstantiis. Nam imprimis nullum est consilii opus quod nequeat, in specialibus adiunctis, praeceptorum ingredi provinciam (nec ipsis coniugatis matrimonialis actus licet semper); si consilii quapropter exsecutio urgeat tunc ex humana, divina, naturali lege, eius omissio voluntaria non vacat a peccato. Valet pariter quis teneri ad perfectiora opera exsequenda, plura vel pauciora, ob votum quod emisit; horum omissio voluntaria, voti cum sit transgressio, dicit quoque peccatum. Potest demum teneri quis ad perfectiora ex professione ad certam Regulam; omissio voluntaria eorum quae agenda imponit Regula | peccatum est quoties Regula obligat sub culpa, aut erit frequenter cum peccato si Regulae obligatio urgeat sub poena tantum.

190 Extra casus huiusmodi nullo adstringimur officio erga consilia? Boni melioris, quod consiliorum obiectum diximus, oportet distinguamus aestimationem, quae est intellectus, atque electionem, voluntatis. Quae revera meliora sunt atque certo meliora apparent haec tenemur aestimare pluris: nam aestimatio iudicium est, ad allegata et probata pronuntian-

‘ Regula religiosa quaedam quidem continet sub formula «commendamus fratribus...»; tunc consulit, non imponit agenda; ideo nec punit omissionem. At falso quis putaret omnia contenta in Regula consiliorum induere naturam; praeter pauca etenim quae urgent «in virtute sanctae oboedientiae, sub formali praecepto», ergo sub culpa gravi, plurimae sunt ordinationes, iussa sive praecepta quae obligant sub culpa aut poena.

dum. Ergo non licet contemnere meliora : contemptus consiliorum est peccatum. Sed quae pluris habenda sunt tenemur ne eligere prae ceteris et propterea mandare executioni, sic quod horum omissio, quapropter et minoris boni exsecutio, sit moraliter mala?

Quidam id asserunt, dummodo constet de boni huiusmodi praestantia non obiectiva tantum sed quoad nos itidem in adiunctis. Electio meliorum, dicunt, in casu est debita ob gratitudinem erga Deum, ob caritatem erga nos ipsos, ob mensuram seu proportionem inter actum atque activam potentiam, ob comminatum penes asceticos doctores recusationem ulterioris gratiae, ob legem qua omnibus iniungitur *Estote perfecti* (Mt., 5, 48), ob naturaliter inditum rationali agenti praeceptum *Age ad rationis normam, sive rationi consona*, ob ipsum denique spontaneum caritatis impetum.

Verum haec argumenta non sunt demonstrativa.

191

Deus siquidem, dum meliora inspirans ad meliora non urget, ad perfectiora invitatur sed non obligatur; cur propterea haberet nos ingratos, incurios divinae dilectionis? Num gratum animum et amorem exhibere non possimus ipsa praeceptorum observantia? Caritas in nosipsos imponit quaedam sine quibus nullatenus salvatur; imponit alia sine quibus periclitatur; at non imponit omnia quibus fovetur et augetur; porro fovetur et augetur observatione quoque praeceptorum. Nec perpetuo necessarium est facultatem porrigi ad sui summum—ideoque intense agere seu ferventer—, quoniam vel usus singularum facultatum saepius non urget: sic non tenentur vacare metaphysicae quotquot ingenio pollent 1.

1 «Ex divina providentia dantur homini ea quae sunt toti speciei necessaria; nec tamen oportet quod quilibet homo quolibet illorum utatur. Data est enim homini industria aedificandi, virtus ad pugnandum: nec tamen oportet quod omnes sint aedificatores aut milites. Similiter, licet homini divinitus sint provisa virtus generativa et ea quae ad actum eius ordinantur, non tamen oportet quod quilibet actui generationis intendat» (S. Thomas, *Contra Gentiles*, 3, 136).

Ipsam etiam quod doctores proferunt ascetici de denegatione ulterioris gratiae sic valet apte intellegi ut meliora omittentes non attingant mercedem copiosiore[m] iis qui meliora faciunt repromissam: summa nota in examine illis datur qui optimum examen subierunt; nec ideo quod aliis denegatur, hi ceteri puniuntur.

- 192 Lex insuper de perfectione caritatis obligat quidem ad hanc perfectionem *assequendam*, non *exsequendam*; aliis verbis, perfectio caritatis non est materia legis, legis quamvis finis existat, finis etenim legis non cadit sub lege x. De cetero, si consiliorum observantia necessaria dicatur ad perfectionem caritatis assequendam, difficile intellegitur verbum Domini: «Si vis ad vitam ingredi, serva mandata... Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum» (Mt., 19, 17 ss.); verbum insuper Pauli: «Si autem acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo non peccavit... Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; et qui non iungit, melius facit» (I Cor., 7, 28, 38). Praecepto pariter naturali vetamur proculdubio quominus irrationabiliter operemur. id est contra rationem; oporteret attamen, ne incurramus petitionem principii, ostendere eum contra rationem agere qui eligit quod ratio approbat, bonum ex circumstantiis praeterquam ex obiecto; cur minus bonum meliori comparatum exsueret bonitatem malitiamque indueret? Spontaneus denique caritatis impetus non legi morali verum legi attestatur psychologicae, quae est omnis habitus:

‘ «Aliter obligamur praecepto quoad id quod se habet ut finis: et aliter quoad id quod simpliciter praecipitur. Nam quod praecipitur ut finis, sufficienter oboedientiam sortitur si sic paremus ut quandoque finem assequamur: quod praecipitur autem absolute, absolute quoque adimplendum est. Unde quia caritatis perfectio praecipitur ut finis, sufficienter quilibet hoc praeceptum servat si ita servat ut quandoque ad finem hunc perveniat. Perveniet autem quilibet proculdubio qui cum quantumcumque minima caritate ad patriam currit: quoniam illic, caritas perfecta erit» (Caietanus, tn II-II, 184, 3, n. 5).

sic impellitur professor studiosus, vi habitus studiositatis, ut se studio consacret ultra mensuram debiti, ratione officii; sic ducitur ebriosus ad potandum ultra mensuram debitam vitae conservandae; sic et amasius cogitur ad visitationes amasiae frequentiores quam petat moralis lex non tantum caritatis sed et amicitiae h

Unum adiciam pro bonitate morali imperfectionum solidum argumentum. Debitum, legale aut morale, strictum aut latum, necessitatis aut convenientiae, est materia praecepti, naturalis et positivi, divini atque humani; hinc classica augustiniana peccati definitio: Dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam; ideo «ubi non est lex, nec praevicatio» (Rom., 4, 15). Lex et praeceptum, praeter consultationem de mediis variis atque iudicium de medio aptiori, nominant superioris imperium: *sic age*. Actus hic imperii est superiori proprius; praevia consultatio atque iudicium vel aliis etiam competunt: quilibet ergo sapiens, prudens, expertus ita potest nos alloqui: *sic ageretis melius*. Quapropter si superior quod iudicium emisit nobis pandat

1 «Perfectus dicitur aliquis dupliciter: uno modo, quia habet perfectionem; alio modo, quia habet statum perfectionis. Perfectio autem hominis in caritate consistit, quae hominem Deo coniungit... Statum autem perfectionis habere dicuntur qui sollemniter obligantur ad aliquid perfectioni annexum. Est autem aliquid annexum perfectioni caritatis dupliciter. Uno modo, sicut praeambulum et praeparatorium ad perfectionem, ut paupertas, castitas et huiusmodi, quibus homo retrahitur a curis saecularium rerum... Alio vero modo aliquid est annexum perfectioni caritatis ut effectus; ut scilicet aliquis curam animarum suscipiat... Cum ergo dicitur quod perfecti tenentur ad id quod melius est, verum est si intellegatur de his qui dicuntur perfecti propter perfectionem caritatis. Huiusmodi enim obligantur ex lege interiori, quae inclinando obligat; unde ad hoc obligantur secundum mensuram suae perfectionis, quod implent. Si autem intellegatur de his qui dicuntur perfecti propter statum, sicut Episcopi et religiosi, non est verum. Non enim tenentur Episcopi nisi ad ea ad quae se extendit cura recepti regiminis; et religiosi non tenentur nisi ad ea ad quae obligantur ex voto suae professionis» (S. Thomas, *Quodl.*, 1, a. 14, 2m).

nec procedat ultra, personam privatam gerit; non agens quatenus superior, subditum non obligat¹. Nec ratio sive conscientia subditi vertit iudicium in imperium, consilium in praeceptum; ratio est praeco, non princeps; legem quidem denuntiat, at non efficit¹³

- 194 Certum est attamen boni minoris electionem esse frequenter cum peccato, v. gr. si quis minora eligeret ideo quod meliora contemnit, aut ideo quod cor stabilivit (iuramento, voto, proposito) contra spiritualem ascensionem sive progressum, aut ideo quod minus eligit ex intemperantia, impatientia, acedia, curiositate; prout accidit peccatum executioni, puta si quis operaretur impatienter, negligenter, tarde.

Casus primus.

- 195 Candida monialis, quae in perfectionem sedulo studio intendit, saepe, dum confessionem instituit, haec tantummodo vitia confessario queritur, quod perfectionis operis propositum quandoque non servet, quod divinis inspirationi-

¹ Dum superior non imperat sed melius bonum electioni subditi relinquit. practice ei dicit: *sic melius ageres, at licet tibi contrarium operari*; cur ipse offenderetur poenamque inferret ubi subditus utatur licentia sibi facta? Cur peccaret qui id faceret quod licet? Sed propterea, audio, quod de meliori constat, id non omittimus nisi quia minus bonum plus fert delectationis aut laborem postulat exiguum. Quare tamen divina providentia miscuit utile dulci, nisi ut capti dulcedine utilia prosequamur? Aliud est agere propter delectationem uti causam totalem actus et aliud agere propter delectationem quatenus partialem neque praecipuam causam; porro qui minus bonum eligit, id non eligit quia delectabile—maior delectatio in malo—, quamvis id non eligat quoniam honestum—maior honestas in meliori—, sed eligit quia delectabile simul ac honestum—partialis causa duplex.

³ <Cum conscientia non liget nisi ex virtute eius quod in conscientia habetur, conscientia quae ex consilio sequitur non alio modo potest obligare quam ipsum consilium, ex quo aliquis obligatur ut non contemnat, sed non ut impleat> (S. Thomas, *QQ. DD. de veritate*, 17, 3, 2m).

bus haud semper obsequatur, quod animi fervorem in agendo aliquando remittat atque vagum animum saepe in orationibus gerat.

Haec confessarius cum audit, opportuna consilia Candidae praebet simulque, tamen, cuiusdam anteactae vitae peccati accusationem ab eadem exquirat, si velit absolutionem obtinere: quae enim Candida manifestat, cum peccati malitiam haudquaquam attingant, putat non esse absolutionis materiam sufficientem.

Num confessarius recte agat?

Solutio

Candida monialis se primo accusat quod perfectionis 196 operis propositum quandoque non servet. Si de proposito dumtaxat agitur, obligatio est nulla¹; si vero de proposito religiosa professione firmato, id quidem obligat, sed ei Candida indubitate satisfacit, cum dicatur in perfectionem sedulo studio intendere².

Se accusat insuper quod divinis inspirationibus haud semper obsequatur. Inspirationes hae, licet valeant esse de re praecepta aut simul cum praecepto, preesumuntur consilium importare, cuius ideo omissionem peccatum existere non constat.

Se accusat pariter quod animi fervorem aliquoties re- 197

¹ Propositum, etsi dicat voluntatem paratam ad aliquid tradendum, agendum, omittendum, obligationem nullam importat

² «Scito quod religiosus non aliter tenetur ad perfectionem tendere quam servando regulam suam. Et ideo hi duo contemptus se invicem comitantur. Ita quod impossibile est ut quis non contemnat regulam suam, et contemnat perfectionem: quia si non contemnit regulam, iam permanet in professione tendendi ad perfectionem; ac per hoc, non contemnit perfectionem. Et similiter si non contemnit perfectionem, consequens est ut velit subici regulae, per quam tenetur ad perfectionem tendere» (Caietanus, in *II-II*, 186. 9, n. 1).

mittat in agendo. Loquitur propterea de elicitis remissis actibus cum forsitan potuit elicere ferventiores. Hi cadunt sub consilio.

Se accusat denique quod saepe in orationibus vagum animum gerat. Si distractiones inter orandum voluntariae sint, haberemus peccatum veniale; si autem involuntariae, negativam imperfectionem, a peccati terminis alienam.

- 198 Si confessarius igitur has quoque distractiones novit involuntarias, fecit optime, postquam opportuna consilia praebuit, accusationem postulans vitae praeteritae peccati, ne sacramentum nullitati exponeret. Sed etiam ubi noverit distractiones fuisse voluntarias, bene egit petens ut peccatum vitae praeteritae clavibus iterum submittatur, quo dolorem nempe certiore reddat et propositum firmiter.

Alii casus.

- 199 *C. II.*— Leonardus, Praedicatorum Ordinis professus et perfectionis desiderio flagrans, aliorum quoque Institutorum religiosorum varias consideravit observantias quas putat sibi superaddendas observantiis propriae religionis. Putat insuper se teneri sub peccato ad omnia quae perfectioni favent assequendae.

SOL— Errat Leonardus noster si, ob desiderium perfectionis, aestimat observantias aliorum Institutorum esse sibi sub peccato superaddendas, nam quantumcumque huiusmodi observantiae sint media perfectionis, ipse non tenetur ad perfectionem tendere nisi secundum regulam et constitutiones eius Ordini proprias (can. 593). Errat pariter vehementer putans se sub peccato adstringi ad omnia quae perfectioni favent assequendae, nam religiosus, prout D. Thomas loquitur, «non tenetur ad omnia exercitia quibus ad

perfectionem pervenitur: sed ad illa determinate quae sunt ei taxata secundum regulam quam professus est» h

C. III.— Bertha, monialis, se in confessione cum lacn- 200
mis accusat de oboedientiae defectu, quod interdum, videlicet, desideria matris abbatissae non perfecit; interrogata vero a confessario num huiuscemodi desideria putabat ipsa obiectum oboedientiae, «absque dubio», inquit, «immo legi in quodam libro ascetico Divum Thomam docere perfectam oboedientiam in eo esse quod quis praeceptum oboediendo praeveniat, voluntate superioris intellecta»

Sol.— Confessarius Bertham admoneat desideria matris abbatissae exulare ab oboedientiae obiecto, quod ad praecepta dumtaxat coangustatur. Ideoque aut ipsam non attente legisse librum, aut auctorem non accurate citasse D. Thomam. Hic etenim, postquam dixerat: «Eius (oboedientiae) speciale obiectum est praeceptum tacitum vel expressum» 2, addidit: «Tanto videtur oboedientia promptior quanto expressum praeceptum oboediendo praevenit, voluntati superioris intellecta». Non ergo constituit promptitudinem oboedientiae in perficiendis superioris desideriiis, sed in implendis eius praeceptis tacitis. Ubi nullum adsit praeceptum superioris nullus est locus oboedientiae perfectae, nec propterea oboedientiae defectuosae.

C. IV.— Rufinus, religiosus, haec inter alia confessario 201
pandit, saepius nempe silentium infregisse a Regula praeceptum, ieiunia Constitutionum interdum non servasse, de his demum transgressionibus non se acussasse in culparum capitulo.

Sol.— Rufinus haec omnia confessario fortasse pandit quo sapientius ab ipso dirigatur, animae suae status plene conscio. Si ea tamen panderet uti materiam confessionis seu ab-

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 186, 2.

« Id., *ib.*, 104, 2.

solutionis, oporteret distinguere casum duplicem, prouti scilicet Regula atque Constitutiones obligant sub culpa aut sub poena dumtaxat. In hoc altero, longe communiori, transgressiones illae non sunt peccata, nequidem venialia. Adest quidem, neque raro, peccatum in ipsarum causis, cum illae scilicet transgressiones fiunt ex curiositate, intemperantia, acedia, impatientia etc.; et tunc, quantumvis possint accusari prout sunt peccata in causa, causa pandatur potius quam effectus, unus cum possit oriri a causis diversissimis.

202 C. V.— Inter duos parochos eiusdem civitatis modus est agendi tam dissimilis ut fideles haereant ancipites et anxii. Calpurnius enim sic clamat e suggestu: Non sufficit si diebus dominicis sacro adstetis; tenemini et assistere rosario atque benedictioni eucharisticae serotinae. Gaudentius vero sic, e contra, auditores alloquitur: Tenemini Missam audire die dominica; sed non debetis venire ad serotinam devotionem rosarii et benedictionis eucharisticae.

Sol.—Calpurnius male facit urgens assistentiam devotioni serotinae quasi aequae praeceptam ac assistentiam Missae; haec obligat sub gravi; illa non obligat neque sub levi.

Sed et Gaudentius quoque male facit, nam illis verbis practice dehortatur auditores a serotina devotione; porro, quamvis haec devotio non sit obligatoria, tamen quisquis curam habet animarum, oportet ut, Spiritui Sancto morem gerens, ipsas invitet, excitet et inducat ad meliora sectanda, pro vitae cuiusque condicione. Unde D. Thomas, ad quaestionem: «Numquid quilibet tenetur ad perfectionem?», respondit: «Non, sed intentio praedicatoris ad hoc debet esse» \ Dicat ergo Gaudentius: Non tenemini quidem adsistere devotioni serotinae; venite tamen omnes atque singuli: Deus etenim plurima nobis contulit et confert bona quae nos non meremur; demus et nos propterea Deo ipsa quae Deus non exigit a nobis.

1 S. Thomas, in *Coloss.*, c. 1, lect. 6.

DE PECCATIS

I. PECCATORUM DISTINCTIO SPECIFICA

Doctrina.

Specifica distinctio peccatorum petitur a quibusdam ex 203
praeceptis vel legibus, a quibusdam ex virtutibus contrariis,
ab aliis demum ex actuum obiectis.

Et differunt quidem species peccatorum secundum leges
sive praecepta cum repugnant legibus vel praeceptis forma-
liter diversis, procedentibus videlicet ex diverso motivo for-
mali, seu ex diverso fine intrinseco, fine nempe operis. Ha-
bent autem leges naturales variae finem intrinsecum diver-
sum. At leges sive praecepta positiva: *a*) si habent eandem
materiam cum lege naturali habent quoque (uti plurimum)
ipsum naturalis legis motivum; *b*) si plures communem ha-
bent unam, moraliter, materiam, habent quoque (nisi aliud
constet) motivum unicum; *c*) at si materia unius legis sit
moraliter multiplex, tunc ipsa lex habet motivum multiplex
formaliter et aequipollet legi multiplici. Quapropter homi-
cidium dicit unum peccatum, quamvis prohibitum lege na-

turali, divino positiva, civili et ecclesiastica; unum quoque peccatum violatio legis de audiendo sacro si die dominica incidit festum Circumcisionis vel Epiphaniae; at duplex, specificè, peccatum omissio sacri atque labor servilis in una dominica (etiam absque festo concurrente).

Secundum virtutes differunt specificè peccata quae: *a)* opponuntur diversis virtutibus; *b)* opponuntur eidem virtuti modo contrario, per defectum nempe et per excessum; *c)* opponuntur eidem virtuti modo diverso, id est virtutis bonis, secundum moralem aestimationem, diversis. Sic aliud peccatum, furtum, et aliud, fornicatio—opposita iustitiae et castitati—; aliud peccatum praesumptio et aliud desperatio—etsi utrumque oppositum spei—; aliud peccatum homicidium, aliud detractio et aliud furtum—opposita diversis bonis iustitiae, bono scilicet vitae, famae atque fortunae.

204 Differentia tamen secundum obiecta est magis propria, cum peccatum sit actus voluntatis, quae in unum bonum fertur, cuius ergo tendentia in bonum se habet per se in peccato, dum privatio rectitudinis, cum virtutis tum legis, se habet per accidens; porro obiectum est primum specificans hanc tendentiam. Ideo si peccata quis attenderet non ex parte prohibentis sed ex parte dumtaxat rei prohibitae—seu motivi intrinseci atque proximi prohibitionis—tunc ipsa peccata, specificata secundum praecepta, specificarentur pariter ex obiectis: haberemus enim furti peccatum speciale, non quia furtum prohibitum est diversis legibus, sed quia prohibitum damnum proximi in temporalibus bonis eius. Si ipsae quoque virtutes adducantur differentiae specificae peccatorum, in ultima pariter analyxi peccata ab obiectis specificarentur, nam virtutes secundum obiecta differunt specie—furtum dicitur speciale peccatum quia iniusta acceptio, acceptio autem non ponitur iniusta nisi quia rei alienae.

Melius tamen prae virtute atque praecepto specificativum peccatorum obiectum ponitur. Prae praecepto quidem, ne lo-

eus sit confusio, facili inter praecepta distincta ex parte prohibentis et ex parte prohibiti. Prae virtute similiter, quia virtus non semper tribuit peccato differentiam ultimam specificam, cum detur peccatum per excessum atque peccatum per defectum, specie certo distincta, etsi contra eandem specificè virtutem.

Sed inde quod peccata specie differunt ex obiecto, facile 205 colligitur differentia specifica: *a)* peccatorum spiritualium, quae consummantur delectatione intentionali sive imaginationis sive rationis—veluti avaritia atque superbia—a peccatis carnalibus, quae complentur in delectatione carnali seu corporali, sensu scilicet tactu—uti gula et luxuria—; habent enim huiusmodi peccata diversa obiecta, utpote diversae delectationis causas; *b)* peccatorum quibus homo peccat directe in Deum, in seipsum, in proximum—v. gr. haeresi, luxuria, furto—, quoniam ipsorum diversa sunt obiecta, prout diversa sunt obiecta actuum quibus ordinamur directe in Deum, in nos ipsos, in proximos; *c)* peccatorum cordis, oris et operis, quandiu ex obiecto peccata habent ut consummentur corde—v. gr. haeresis—, ore—v. gr. detractio—, opere—v. gr. furtum—; *d)* immo peccati mortalis a veniali, pro quanto illud habet obiectum repugnans fini ultimo, cui obiectum peccati venialis non repugnat.

Casus primus.

Pater Sigfridus, religiosus Ordinis Praedicatorum, negotiationem lucrativam exercuit. Hanc culpam dum accusaret 206 Tiburtio confessario, audit se commisisse peccatum triplex, contra sacras nempe Constitutiones O. P. (n. 863), contra Ius Canonicum (cc. 142, 592), atque contra votum oboedientiae quo tenentur omnes religiosi Romano Pontifici oboedire (c. 499, § 1).

An Tiburtii sententia sit probanda.

Solutio

207 Primo quidem, quoniam Ius Canonicum atque Constitutiones O. P. prohibent negotiationem religiosis sub unico motivo formali, ad decorem scilicet status—ne religiosi saecularibus negotiis implicentur—, duplex praeceptum illud est unicum formaliter; transgressio, hac ex parte, unum dicit peccatum; praeterquam Constitutiones O. P. non obligant, ut plurimum, sub culpa nisi accedente praescripto pontificio (n. 31), quod plenum suum retinet valorem. Hucusque igitur Pater Sigfridus unum peccatum fecit, contra virtutem nempe oboedientiae erga Summum Pontificem, conditorem sacrorum canonum.

208 Peccavitne quoque contra votum oboedientiae quo Romano Pontifici sublicitur? Ad haec Schaefer: «Tunc solummodo Religiosus laedit votum oboedientiae, si Romanus Pontifex Religioso aut Religiosis vi oboedientiae particulare praeceptum dat et Religiosus illud transgreditur, non autem si cetera statuta pontificia non observat... Dignoscitur autem, uti Raus dicit, utrum Romanus Pontifex ex voto obligare velit, si Romanus Pontifex sub formali praecepto de oboedientia regulari aliquid praecipit aut si imponit particulare praeceptum Religioso vel etiam omnibus Sodalibus alicuius Religionis sub poena gravi, ex. gr. sub censura» J. Et Wernz-Vidal: «Praesumendum est Rom. Pontificem etiam in materia voto subiecta non praecipere vi voti, nisi contrarium ex ipso modo praecipendi constet» 2.

Sed in prohibitione quae nunc agitur id non constat. Immo, quamvis canonum vetitum fuerit inde obfirmatum poena latae sententiae, excommunicatione videlicet Sedi Aposto-

¹ Schaefer, *De religiosis*, p. 178, ed. 3.

² Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*, III, n. 84, ed. 1933

licae reservatae \ haec censura, pariter atque vetitum, non afficit solos religiosos sed et ceteros clericos.

Sententia igitur Tiburtii confessarii non probanda est, 209 sed reformanda, quoniam Pater Sigfridus non peccavit nisi contra virtutem oboedientiae debitae Romano Pontifici, seu contra Ius Canonicum. Tamen quantumque non peccaverit contra oboedientiae votum, Tiburtius eum arguere poterat tamquam transgressorem voti paupertatis: hoc enim voto religiosi valedixerunt iuri aliquid habendi tamquam proprium, aut saltem eo utendi sine licentia superioris. Haec attamen licentia ad actus illicitos, v. gr. ad negotiationem lucrativam vetitam, non facile praesumitur—etiam dato, nec propterea consesso, ipsammet superiores religiosos dare posse validam 210

Alii casus.

C. II.— Nicolinus ac Athanasius confessario se sistunt. 210 Ille se accusat de fractione ieiunii; agebatur autem ieiunium non tantum praescriptum ab Ecclesia verum etiam promissum voto atque pro paenitentia sacramentali iniunctum. Hic autem fatetur se omisisse confessionem annuam atque communionem paschalem.

¹ AAS., 42 (1950), p. 330 s.

² Non desunt Auctores qui religiosum eximant a peccato contra votum paupertatis si superior ei licentiam dederit pecuniam expendendi ad usus tam licitos quam illicitos; eorum ratio est quoniam «nullibi legitur, saltem in legibus universalibus Ecclesiae, quod Superioris potestas valide administrandi bona religionis limitata sit ad usus licitos tantum. Ergo si etiam ad illicita abutatur, peccat quidem sed actus valet» (Fanfani, *De iure relig.*, n. 225, dub. 3, p. 251, ed. 1925). Sed. praeterquam quando superior confert licentiam religioso pecuniam expendendi *pro libitu* seu ad arbitrium, non ideo vult dicere ad usus licitos et illicitos, qui hanc licentiam illimitatam daret exorbitaret, ad aliorum theologorum sententiam. facultatem propriam; indeque et licentia foret invalida et subditus, ea utens, non absolveretur a peccato contra votum paupertatis.

Sol.— Fractio, in primo casu, leiunii malitiam induit triplicem: contra temperantiam, contra religionem et contra paenitentiam. Ita Prümmer

Athanasius, in secundo casu, dupliciter peccavit seu contra legem duplicem, quarum una iubet confessionem annuam et alia praecipit paschalem communionem.

- 211 C. III.—Vehementi tentatione luxuriae pressus, Julius orare praetermisit et ideo fornicationi cessit; peccavitne contra praeceptum vetans luxuriam et insuper contra praeceptum: *Orate ne intretis in tentationem*—seu contra castitatis et religionis virtutem duplicem?

Sol.— Negative. Nam si qua virtus vel virtutis praeceptum obliget seu urgeat tantum indirecte, ex imperio sive praecepto alterius virtutis, omittens actum imperatum peccat dumtaxat contra virtutem imperantem: una est etenim obligatio finis atque mediorum. Omittens igitur orationem ad vincendam tentationem luxuriae, peccat, non contra religionem, seu contra praeceptum orationis, sed solummodo contra castitatem.

- 212 C. IV.—Mauritius furatus est rem sacram; Norbeilus autem sacrilegii personalis reus existit. Satisfaciuntne integritati confessionis (140) ille quidem si de furto se accusat, hic vero non nisi de sacrilegio?

Sol.— Negative; furtum enim Mauricii fuit sacrilegum, seu oppositum iustitiae et religioni; sacrilegium Norberti est personale, aliud specie a sacrilegio reali et locali, nam aliud est, ad communem aestimationem, obiectum persona sacra, res sacra et locus sacer.

- 213 C. V.—Augustinus, qui modo fuit avarus et modo prodigus, sic confessario loquitur: peccavi contra liberalitatem.

1 Prümmer, *Th. Mor.*, I, 374, ed. 1931.

Ildefonsus vero, qui detractioe, contumelia et furto contra Ernestum peccaverat, se dumtaxat in confessione accusat quod iniuriam fecerit proximo. Faciuntne confessionem integram?

Sol.— Negative; avaritia namque et prodigalitas, etsi opponantur uni virtuti liberalitatis, differunt specie, illa cum opponatur per defectum, haec per excessum; detractio quoque, contumelia et furtum, quamvis contra solam iustitiam, important damnum proximo illatum in bonis moraliter distinctis et ideo specie differunt et sunt secundum propriam speciem declaranda—aliud est ius ad famam, aliud ius ad honorem, aliud ius ad exteriora bona.

C. VI.— Albertus de his, inter alia, se in confessione accusat: quod interius iratus in Pancratium, iram expressit primo verbis asperis, exinde percussione: insuper quod cogitationibus turpibus induisit, sermones lascivos habuit atque fornicationi operam dedit. Differuntne specie haec Alberti peccata?

Sol.— Quoad iram, negative, quoniam peccata cordis et oris ordinantur ad completionem opere. Quoad luxuriam, affirmative, si peccata seorsim inveniantur neque voluntas progrediatur ultra, sic ut turpes cogitationes non ordinentur ad sermones lascivos, nec isti in copulam fornicariam; negative, contra, si cogitationes et sermones sint veluti gradus fornicationis, quae inchoatur corde, proditur ore, opere denique consummatur.

C. VII.— Marcianus, dum in una confessione explicite: 215 Furtim ingressus domum divitis, haec omnia simul asportavi mecum: codicem perrarum, lapidem praetiosum et ingentem pecuniam; in alia compendiose: Furtum feci atque pluries de proximo detraxi.

Sol.— Quoad primam confessionem: omnia illa obiecta, etsi differant physice, non differunt moraliter: sunt enim

pariter res aliena; sufficeret ergo, per se loquendo, dicere: Furtum grave commisi. At quoad secundam confessionem, Marcianus deberet explicare num furtum atque detractiones fuerint peccata mortalia, potius quam venialia.

II. PECCATORUM NUMERICA DISTINCTIO

Doctrina.

216 Peccata distinguuntur numero ad moralem multiplicationem sive actuum sive obiectorum x.

Actus, circa unum idemque obiectum, multiplicantur moraliter quoties moraliter interrumpuntur. Interrumpuntur autem : A) per actum contrarium voluntatis, per voluntatis retractationem nempe, sive *a*) explicitam—qua quis v. gr. paenitet de praecedenti intentione seu proposito—, sive *b*) implicitam—qua voluntas ponit actum impossibilem cum priori intentione seu proposito, vel quando, sibi oblata occasione, quis non agit quod agere intendebat—; B) per cessationem Amluntariam ab actu iam incoepto—eo namque quod voluntarie quis ab actu cessat, ab ipsomet desistit—; et

1 Dicit Prümmer: «Per se patet, peccata specificè distincta etiam numerice distingui, quamvis unico actu fiant. Hinc qui committit furtum ut fornicetur, non solum duo specificè distincta, sed etiam duo numerice diversa peccata perpetrat» (*Th. Mor.*, I, 376, ed 1931). Cautius Noldin: «Si unus actus peccaminosus plures virtutes diversas laedit, eo ipso etiam plures malitias continet, quae peccatis numero pluribus aequivalent. Sane, qui furatur rem sacram, duo peccata specie et virtualiter numero distincta committit, unum contra iustitiam et alterum contra religionem» (*Th. Mor.*, I, 307, ed 1931). Melius autem Tanquerey: «Si unus habeatur actus humanus virtutibus specificè diversis oppositus, dicitur etiam, ex usu recepto, dari multiplex peccatum, licet, rigurose loquendo, non sit nisi unum numero peccatum plures in se continens malitias specificè diversas» (*Th. Mor.*, II, 520, ed. 1931).

C) per cessationem involuntariam seu naturalem, quoties prima voluntas nequit haberi causa posterioris.

Quoad hunc postremum casum, minus obvium, distingua-
mus oportet inter peccata externa, quae consummantur or-
ganis exterioribus—v. gr. homicidium, fornicatio—, peccata
pure interna, quae consummantur potentiis interioribus—v.
gr. haeresis, cogitationes pravae, odium ac desideria ineffica-
cia—, atque peccata mixte interna, desideria efficacia nempe,
seu intentiones sive proposita actus externi perficiendi—v. gr.
propositum fornicandi, occidendi.

Porro per cessationem involuntariam seu naturalem in- 217
terrumpuntur moraliter peccata :

A) Externa, quidem, quando complentur: *a)* secundum
se—v. gr. fornicatio, homicidium—, aut *b)* saltem secundum
intentionem agentis—v. gr. osculum sine intentione copulae,
percussio absque occisionis intentione—, nisi ex eodem im-
petu passionis, intra breve tempus, repetantur—v. gr. mul-
tiplex osculum vel percussio ab eo qui semel osculari vel
percutere intendebat.

B) Mixte interna vero, *a)* quando exterius complentur,
uti supra; *b)* quando, nisi uniantur in externo effectum ad
intentum finem conducente, intercedit inter unum et aliud
mora notabilis—quae autem mora sit dicenda notabilis de-
pendet tum ex natura rei tum ex passionis vehementia, ita
ut qui quaereret furtum committere nec occasionem nisi post
mensem invenerit, nova haec intentio esset moraliter pec-
catum unum cum priore; e contra, qui quaereret inimicum
ad occidendum, si iterum post mensem vellet illum occidere,
nova haec intentio dicenda foret novum peccatum l.

C) Pure interna denique, per quamlibet interruptionem
physicam—quoties multiplicantur physice, toties multipli-
cantur et moraliter—, nisi procedant ex eodem passionis im-

* Saematicenses Mor., tr. 20, c. 12, n. 38.

petu intra breve intervallum—pro Merkelbach, intra duas vel ad summum tres horas x.

- 218 Actus, externus vel internus, unicus multiplicatur ex obiectis numerice distinctis in esse moris, quae videlicet non se habent moraliter per modum unius—sive quia unum non est pars alterius, sive quia omnia simul aut non sunt partes intégrales alicuius aut non ordinantur in unum finem vel opus consumandum.

Hinc, ad sententiam nobis probabiliorem, plura numero committeret peccata: qui uno actu res plurium auferret (hinc nisi constituent societatem), tot enim laedit iura quot sunt domini; qui una actione induceret tres pueros ad peccandum, tot namque sunt scandala quot pueri; qui unico sermone contumeliam pluribus irrogaret; vel qui uni detraheret in pluribus materiis, nam fama dicit ordinem seu respectum ad diversas virtutes et propterea alium qui profert furem, homicidam, adulterum, etc., laedit in casu plura iura—nisi multiformem hanc detractionem auditores falsam existiment, quasi effectum irae dumtaxat—; et a fortiori tot peccata committeret sacerdos quot in mortali existens paenitentes in unica absolveret sessione² vel quot parvulos simul baptizaret. Probabilius quoque peccata plura faceret qui unico desiderio vellet accedere ad plures feminas, qui unico proposito statuerit vel ieiunium frangere per totam quadragesimam, vel recitationem breviarii omittere per totum mensem (in primo casu tot peccata quot feminae, in aliis tot peccata quot dies).

- 219 Contra, unico verbo blasphemans in duodecim Apostolos

¹ Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 439, ed. 3.

³ Cum aliis de unico peccato confessarium huiusmodi accusans. Merkelbach (*Th. Mor.*, I, 440, ed. 3) vult attamen ipsum teneri, quando confessionem instituat, declarare pluralitatem, ne in errorem confessarium proprium inducat. De hoc attamen sermo infra (223).

unum peccatum facit, quoniam una est in Deum irreverentia; item, qui eadem locutione plures sive blasphemias in Deum sive contumelias in hominem proferret; qui plures fidei articulos negaret; qui aliquem detraheret coram pluribus—cum ius ad famam sit unum apud omnes—. Probabilius unum ponitur peccatum sacerdotis qui, existens in mortali, Eucharistiam distribueret pluribus in eadem communionis administratione, cum loqui liceat de una mensa sive convivio.

Casus primus.

Ut vindictam sumeret de Sempronio, inimico, Caius statuit ipsum bonis et familia privare. Post diuturnam deliberationem proposuit dynamite evertere domum cum uxor atque filii somnum caperent. Emit igitur dynamitem, hanc studiose disposuit, tempus propitium expectavit. Quadam igitur nocte, cum noverit Sempronium a civitate abesse, et uxorem filiosque quattuor domum ingressos somnoque sopitos, dynamitem domo applicavit et explosit. Res quidem tunc pro voto cessit. Sed Caius postea paenitens se confessario sistit cui sic se accusat: Homicidium patravi.

Quaeritur: Num Caius integritati confessioni (140) satisfacere faceret.

Solutio

Pravum certo propositum, emptio, praeparatio et appositio dynamitis non sunt peccata alia a domus atque familiae destructione; non erant igitur in confessione declaranda.

Verum destructio domus aliud peccatum existit ab occisione uxoris et filiorum: aliud est enim ius ad bona externa et aliud est ius ad vitam. Unde ipse Noldin x: «Qui horreum

¹ Noldin, *l. c.*, 313.

incendit ad interimendum inimicum suum ibi dormientem, vel qui uno ictu equum et sessorem interficit, duo peccata committit, damnificationis et homicidii.» Domus ergo destructio erat quoque ad confessionis integritatem declaranda.

Sed uxori ac singulis filiis ius aderam ad vitam independens; quinque propterea iura ad vitam laesit, seu quinque commisit Caius homicidia; vel ipsa civilis lex Caium puniet ob homicidium quintuplex; sed et communis aestimatio habet uti mere accidentale num homicidium multiplex simul aut successive committatur. Caius ergo se accusare debet dicens: Homicidium quintuplex patravi.

222 Huic doctrinae nonnulli obiciunt quod uni eidemque actui nequeunt plures numero malitiae esse, cum accidentia non multiplicentur nisi ad subiecti multiplicationem x. Respondemus aliter loquendum esse de moralibus atque de naturalibus. Sic, prout D. Thomas nos admonuit: «In rebus naturalibus, id quod est accidens alicui rei, non potest accipi ut differentia constituens speciem»², et tamen moralis actus potest speciem sumere ex circumstantiis (cf. 138); ita quoque, etsi rei naturali nequeat esse multiplex species, idem actus physicus induere potest plures specie sive bonitates sive malitias; quam ergo recipit ab obiecto, hanc recipiet multiplicatam quando obiectum est multiplex.

¹ Tanquerey (*l. c.*, n. 527) tribuit haec verba Angelico Doctori: «Ubi non multiplicatur actus voluntatis non multiplicatur peccatum» (in 2, d. 42, q. 1, a. 1). Sed haec verba non habentur ibi prout citantur. Habenturne quoad sensum? Oporteret praecipue quaestioni intendere quae in illo loco agitur, scilicet, num voluntas peccandi sit peccatum distinctum ab exteriori peccati actu. Cui quaestioni D. Thomas respondet voluntatem quidem peccandi coniunctam cum exteriori actu unum esse peccatum cum hoc actu; voluntatem vero separatam ab exteriori actu aliud peccatum esse, cum existat distinctus actus. Inde propterea D. Thomas potest invocari pro multiplicatione peccatorum ex parte actuum (21G), non tamen pro peccati unitate ex obiectorum parte, de qua nunc loquimur.

^a S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 18, 10.

Ceterum ipsi Auctores qui loquuntur, in casu nostro, de 223 uno peccato homicidii, cum circumstantia tametsi aggravante—quae non est necessario declaranda in confessione (140)—, insistunt ut Caius accuset homicidium multiplex, ne confessarius, audiens «homicidium patravi», decipiatur a paenitente. Isti Auctores, mea quidem sententia, illogice procedunt: arguunt enim Caium, in casu nostro, de mendacio dumtaxat levi, quod certo non obstaret validitati confessionis. Sed et deberent ipsum eximere a mendacio, quoniam non paenitens inducit confessarium in errorem, at confessarius decipit semetipsum: cum enim noverit, ad Doctorum eorundem placitum, verbis «homicidium patravi» optime significari posse homicidium unum et homicidium multiplex, sibi ipsi tribuat quod intellexit unum prae multiplici

Alii casus.

C. II.— Annuam peragens confessionem se Evergistus ac- 224 cusat quod successive et pluries sibi pollutionem procuravit et pluries cum eadem femina fornicatus est; insuper quod fornicationem quidem intendens, interdum et mulieri turpiter allocutus est et mulierem est deosculatus atque inhoneste tetigit, immo, postquam copulam perfecit, actibus induisit impudicis sibique complacuit de iam habita copula.

Sol.— Quoad pollutiones et fornicationes successivas: tot commisit peccata quot fuerunt pollutiones vel fornicationes, nam harum atque illarum quaelibet est, suapte natura, actus consummatus; quem ad modum committeret, abs dubio, duo

1 Legimus in Genicot (*Th. Mor.*, I, 168, ed. 1931): «Regulariter in praxi exprimenda erit saltem aliqua confusa pluralitas, dicendo, v. g. *occidi plures*, non quidem ad confessionis integritatem, sed ne confessarius audiendo *feci homicidium* merito intellegat unius hominis occisionem.» Subinde autem (ibidem): «Qui unico actu scandalum praebet pluribus, ne pluralitatem quidem significare debet, quoniam verba *scandalum (grave) praebui* intellegi possunt de pluribus scandalizatis.»

peccata qui post occisum Petrum occideret Ioannem, uti Lârraga loquitur¹.

225 Quoad actus antecedentes et consequentes copulam, hi omnes unum dicunt peccatum cum ipsa copula; actus quidem praevii, quoniam ordinabantur ad copulam habendam; actus vero consequentes—nisi in novam copulam fuerint directi—moraliter aestimantur copulae peractae complementum.

226 C. III.—Se ad confessarium sistunt Narcissus et Ambrosius. Ille se accusat quod fornicationem quidem intendens, coepit feminam turpiter deosculari; at copulam perficere non potuit ob eventum fortuitum qui supervenit. Hic vero narrat quod ad feminam accessit animo turpes dumtaxat tactus exercendi, sed inde, libidine excitata, copulam appetiit perfecitque.

Sol.—Revera tenebatur Narcissus declarare, praeterquam fornicationis intentionem, oscula inhonesta, quippe quae, vel abstractione facta a pravo fine, erant ipsamet prava. Ambrosius etiam optime fecit declarans duo peccata, tactuum turpium videlicet atque fornicationis; quoniam tactus non subordinabantur fornicationi consequenti, quae non erat intenta.

227 C. IV.—Eadem quidem nocte Hadrianus furatus est quantum erat frumenti in horreo Pauli, vigesies tamen incedens et discedens. Per annum insuper totum illud frumentum et retinuit et reddere noluit eius domino.

Sol.—Quoad furtum: supposito quod nulla adfuit retractatio formalis vel virtualis, nullaque moralis interruptio, Hadrianus commisit unicum peccatum, quoniam actus completus unus fuit. Quoad retentionem, pariter: si toto illo tempore

- Lârraga-Lumbreras, *Prontuario de Teol. Uor.*, I. 242.

nulla interfuit formalis vel virtualis retractatio pravae, alienum retinendi, intentionis, peccatum non multiplicatur; si vero interfuit retractatio, toties peccavit Hadrianus quoties, post retractationem, iteravit pravam voluntatem. Ita ad utrumque Lârraga x.

C. V.— Quot peccata committeret sacerdos qui proponeret 228
omittere totum diei Officium vel Officium per decem dies?

Sol.— Respondet Prümmer: «Sacerdos qui proponit uno die integrum Officium divinum omittere illudque reapse omittit, committit unum peccatum mortale. Sin autem prius intendisset solummodo omittere Matutinum et Laudes et post intervallum insuper proposuit omittere aliam Horam, commisit duo peccata mortalia. Attamen ista duo peccata profecto sunt tam gravia insimul quam unum peccatum per omissionem totius Officii commissum. Sacerdos qui proposuit omittere Officium divinum per decem dies, videtur decem peccata mortalia committere, sicuti etiam sacerdos qui reapse per decem dies non recitavit hoc Officium» 1.

C. VI.— Quot peccata committit qui familiae ex quinque 229
capitibus compositae detrahit aut maledicit?

Sol.— Pro quibusdam unum est peccatum si integram familiam ad modum unius apprehendit et una intentione nocendi attingit; si tamen de singulis cogitaret eisque distincte nocere vellet, quinque peccata committeret. Pro aliis tot habentur, etiam in prima hypothese, peccata quot personarum iura ad famam laesa sunt; eoque magis si quae plurima sparsit non uno actu physico prolata fuerunt.

C. VII.— Clodoaldus quae ab aliis fiunt concivibus sum- 230
mopere satagit addiscere; hinc detractoribus auditum prae-

1 Lârraga-Lumbreras, l. c., 240 s.

3 Prümmer, *Th. Mor.*, I, 379, ed. 1931.

bet facilem, animum auget atque sollicitat; nec valens quae ipse attingit commendare secreto, verbo ac litteris comperta vitia prodit familiaribus et amicis. Dum autem confessionem peragit, sic se accusat: Decies vacavi detractioni.

Sol.— Clodoaldus dumtaxat accusavit detractiones quas ipse fecit; debuit insuper accusare et illas quibus, ab aliis factis, positive cooperatus est uti palpo, consulens, iubens. Neque satis erat numerum declarare ex parte actuum, cum exprimendus insuper foret numerus ex capite obiectorum, id est numerus personarum quibus detraxit, immo (probabilius) et numerus vitiorum, moraliter distinctorum, quae de singulis absque proportionata causa revelavit.

III. COGITATIONES PRAVAE

Doctrina.

231 Prava cogitatio—seu consensus in delectationem rei pravae cogitatae, sive delectatio, ut dicitur, morosa—importat voluntariam complacentiam de actu pravo, cognitione exhibito ut praesenti—non ut praeterito seu patrato, neque ut futuro seu perficiendo.

Quia nemo sibi complacet nisi in iis quae aestimat bona seu habet grata, repugnat autem et rectae rationi et legi aeternae hominem habere sibi gratum id quod Deo displicet, cogitatio prava venit proculdubio peccatum. Peccatum quidem veniale, si sit de obiecto aut actu leviter peccaminoso; mortale vero, si de obiecto aut actu graviter pravo. Minorem tamen malitiam cogitatio quam exsecutio vel assecutio induit, ad hanc cum illa se habeat veluti species incompleta, initii instar; minorem quoque malitiam quam propositum, cum hoc tendat in executionem vel assecutionem, a qua cogitatio prava praescindit.

Quem ad modum ab obiecto repraesentato accipit gravitatem, sic et speciem : est etenim prava cogitatio actus moralis—qui specificatur ab obiecto—; aliud ergo peccatum delectatio de cogitato furto, aliud de cogitato homicidio, aliud de fornicatione cogitata x. 232

Quoad species morales ortas ex circumstantiis conveniunt quidem Auctores declarandas esse in confessione circumstantias quae sunt subiecti, ita scilicet quod si indulgens cogitationibus libidinis adstringatur castitatis voto is teneatur fateri in confessione voti circumstantiam. Conveniunt pariter dum species oritur ex circumstantiis quae sunt obiecti si circumstantia sit ratio motiva delectationis, ita videlicet ut qui delectatus fuit de occisione Titii quatenus sacerdotis, aut de copula cum Sempronia quatenus coniugata, is quidem teneatur fateri in confessione circumstantiam sacrilegii vel adulterii.

Controvertitur attamen num declarandae sint necessario circumstantiae obiecti quae, etsi mutent speciem, non fuerunt delectationis causa formalis seu motiva, cum agitur, v. gr. de delectatione de cogitato homicidio sacerdotis, non quatenus sacerdotis, sed quatenus infensi; de cogitata copula cum coniugata, non quatenus coniugata sed quatenus pulchra. 233

Qui sententiam benigniorem, seu negativam, amplectuntur in eo praecipue insistunt quod delectatio tendant in obiectum non ut realiter in se est, at prout intentionaliter in intellectu existit; porro, sicut consensus in executionem operis contrahit omnes executionis malitias, quoniam in execu-

1 In quo oportet confessarii diligenter attendant, quoniam multi quidem se accusant de pravis cogitationibus spectantibus rem veneream, dum quae ad alia praecepta pertinent, saepe ignorant aut confiteri praetermittunt. Cuius ratio quidem est, prout Caietanus animadvertit (*in I-II*, 74, 8). quia in materia luxuriae maxime timetur hoc peccatum: e contra, ubi est delectatio de cogitata vindicta, quam tamen facere non vult, non aestimatur.

tione nequit una separari ab altera—et ideo qui vult executionem consentit in omnes malitias executioni coniunctas—, qui consentit in meram delectationem distinguit facile inter diversas rationes operis, luxuriam, puta, sacrilegium, vel iniustitiam, ac potest sibi proponere unam sine altera atque circa unam complacens versari sine affectu ad alteram—circa eam videlicet quam apprehendit ut delectabilem, sine affectu ad eas quae non sunt ei motiva delectationis h

234 Rigidior attamen, id est affirmativa, sententia probabilior Licet etenim qui delectaretur de imaginata copula cum femina in abstracto, peccaret tantummodo luxuria, qui delectatur de imaginata copula cum femina in concreto, id est cum femina quam novit coniugatam, consanguineam, etc., is peccaret, praeterquam luxuria, adulterio seu iniustitia, impietate, etc. 2. Admittit tamen Prümmer, qui rigidio-rem senten-

1 Billuart attamen, qui huic sententiae adhaeret, admonet in praxi non esse regulariter recedendum a rigidiori seu affirmativa, «quia (inquit) qui huiusmodi delectationibus dediti sunt, regulariter desiderant opus, a quo non abstinere nisi vel defectu opportunitatis, vel metu infamiae aut poenae temporalis, vel ex alio simili inotivo humano. Hinc inferes (concludit) regulariter interrogandos esse paenitentes de qualitatibus obiecti venerei circa quod morose delectati sunt, nec sufficere si simpliciter dicant se delectatos fuisse in materia venerea, aut circa aliquam mulierem, sed explicare debent an mulier sit coniugata, aut consanguinea, aut monialis, etc. Dixi (animadvertit) regulariter, quia si probabilius constet non adfuisse consensum in opus, nec proximum illius periculum, ut contingere potest paenitentibus timoratae conscientiae, qui cum non soleant his obscoenitatibus voluntarie immorari, saepe tamen dubitant an non irreperit consensus in delectationem, aut si consenserint, certo tamen sciunt et affirmant se non consensisse in opus externum nec illud desiderasse; talibus inquam, puto probabilius iuxta secundam—id est benigniorem—sententiam sufficere si simpliciter se accusent, vel sub dubio, vel certo de consensu in delectationem absque eo quod cogantur explicare condiciones obiecti» (*Summa S. Thomae*, tr. *De temperantia*, dlss. 6. a. 15, § 3).

’ «Hoc ipso namque quod qualitas illa mulieris alienae, qua afficitur et non ignoratur, non retrahit animum a prava illius concupiscentia aut delectatione, iam tendit in obiectum, saltem indirecte, prout est in se; adeoque duplicem contrahit malitiae speciem; idemque dicas si mulier sit

tiam tenet, in praxi saepissime sufficere si declaretur in confessione obiectum delectationis absque illius circumstantiis, quoniam et fere semper (ait) est moraliter impossibile ut paenitens (praesertim si iam a longo tempore confessus non fuerit) circumstantias illas declaret, et quoniam (adicit) pravae cogitationes absque desiderio solent transire facile atque cito de uno obiecto in aliud, neque tam clare exhibent obiectum cum circumstantiis, verum modo vago atque indeterminato x.

A cogitatione prava, seu consensu in delectationem rei 235 cogitatae, differt consensus in delectationem cogitationis, dum ipsa nempe cogitatio delectat. Porro, quia cogitatio, sicut et cognitio (etsi mali gravissimi), est hominis vera perfectio, hic consensus peccatum ex sese non importat. Valet igitur esse bonus, dum quis utiliter cogitat; et valet esse malus ex circumstantiis, et sic habetur peccatum veniale dum quis cogitat sine utilitate, vel mortale dum cogitans incurreret periculum consentiendi in peccatum grave.

Delectatio est, ut plurimum, de cogitatione dum legentes fabulas delectamur, non de pravis quae ibi narrantur, sed de artificio quo exponuntur; dum comoedias aspicientes delectamur de industria, non de pravis gestis vel dictis; quando bellorum placet honor aut valor, tametsi bella iniusta; cum delectamur de modo curioso, singulari astucia, calliditate qua commissum fuit homicidium vel furtum; quando in libro placet stylus, elegantia, novitas narrationis; in picturis, peritia vel excellentia artis; non libri vel picturae argumentum turpe atque damnabile.

consanguinea, aut voto castitatis obstricta, etc. Hinc, quem ad modum qui adulterium aut incestum commisit non satis in confessione explicaret peccatum suum dicendo solum se rem habuisse cum muliere, ita quoque qui de eisdem obiectis tantum morose delectatus est» (Patuzzi, *Th. Mor.*, tr. 3, diss. 1, c. 12, n. 6).

1 Prümmer, *Th. Mor.*, I, 397, ed. 1931.

Casus primus.

236 Per totam diem immoratus in libidinis omnis generis cogitationibus noctu Filibertus, sacerdos, se sistit confessario cui noxium animum ita pandit: Integra die pravis cogitationibus indulsi.

An confessio Filiberti integritate materiali polleat.

Solutio

237 Materialis integritas confessionis petit declarationem peccatorum mortalium quoad eorum numerum, speciem et circumstantias quae speciem mutant (140).

Et quoad numerum quidem, facile concederem confessionem illam sufficientem: nam cum peccata interna per involuntariam quoque cessationem interrumpantur (217), erit paenitenti fere impossibile cogitationum numerum exactum declarare, numerum autem proximum satis indicat dicens «integra die».

Quod ad cogitationum attinet speciem, verbum paenitentis «pravis cogitationibus indulsi» generalitate et ideo obscuritate redolet ex sese: prava siquidem cogitatio potuit esse de homicidio, de luxuria, de furto. Obtinuit tamen sensus ut locutio huiusmodi ad materiam veneream restringatur, ut ex Caietano animadvertimus (232n); pravis ergo cogitationibus indulgere stat in casu pro indulgentia cogitationibus luxuriae.

238 Re autem indulserat Filibertus cogitationibus libidinis «omnis generis»; dicamus ergo cogitationibus pollutionis, fornicationis, adulterii, etc. Haec omnia erantne specificè declaranda? Imprimis notandum est quasdam e luxuriae speciebus ab obiecto differentiam ultimam postulare, quas-

dam autem ab obiecti circumstantiis. Ab obiecto differunt specie (in ipsomet genere luxuriae) pollutio, fornicatio, sodomia, bestialitas; ab obiecti vero circumstantia differunt specificè (ob laesionem alterius virtutis) adulterium, sacrilegium incestus. Communi igitur sententia Filibertus debuit declarare num induisent cogitationibus pollutionis, fornicationis, sodomiae aut bestialitatis. Quid autem si induisit cogitationibus adulterii, sacrilegii, incestus? Omnium ore huiusmodi quoque species declarare debuit si circumstantia adulterii, sacrilegii, incestus fuit motiva delectationis—id est si delectatus fuit cogitans fornicationem cum coniugata, moniali, consanguinea, quatenus coniugata, moniali, consanguinea—; verum si huiusmodi circumstantia non fuit motiva—quantumcumque fuerit apprehensa et cognita—, eam non tenetur manifestare secundum probabilem sententiam; tenetur tamen ad sententiam probabiliorem, saltem si modo claro atque distincto qualitem personae apprehendit cuius commercium cogitatum delectabat—non est enim moraliter impossibile sacerdoti harum circumstantiarum recordari post cogitationes habitas in die—; immo et secundum sententiam benigniorem confessarius de his interrogare debet si. ut facile praesumitur, sacerdos noster deditus sit libidini, aut abstinuisset a pravo desiderio ob defectum opportunitatis operis exsequendi, ob timorem infamiae, poenae temporalis, etc.

Tenebaturne ulterius declarare se esse sacerdotem, ad 239 aperiendam sacrilegii circumstantiam ex parte ipsius peccantis? Si ut sacerdos vel religiosus a confessario noscitur, negative; affirmative, alias.

Alii casus.

C. II.—Aegidius saepius dubitat num consenserit in de- 240 lectationem rei turpis cogitatae et num consensus, quoties adfuit, fuerit plene deliberatus.

Sol.— Respondet Billuart: «Huius dubii practici et frequentissimi resolvendi causa, assignantur communiter a theologis sequentes regulae. Prima: si dubitans sit timoratae conscientiae aut si numquam vel raro exteriori actu peccat in hac materia, praesumitur non consensisse, saltem plene; si enim sic consensisset non dubitaret, sed talis cognosceret cum sit timoratae conscientiae: adde in similibus delectationes communiter esse tantum in appetitu sensitivo. A contrario, si dubitans sit liberioris conscientiae, aut actu exteriori non infrequenter labitur, praesumitur consensisse; si non enim consensisset, id certo cognosceret, nec dubitaret cum sit liberioris conscientiae. Secunda: si instantanee et obiter haeserit delectationi, dubitans de consensu, potest praesumere non adfuisse saltem plenum; licet enim transitoria delectatio possit esse mortalis, hoc tamen verum est dumtaxat dum constat de consensu, qui saepius non adest dum quis instantaneae delectationi adhaeret, et statim repellit» x.

241 C. III.— Quomodo peccaret iuvenis qui ex sola curiositate investigat de rebus venereis ad acquirendam eorum cognitionem?

Sol.— «Peccaret leviter vel graviter saltem propter proximitatem periculi sese complacendi in ipsa delectatione Venereorum.» Ita Fanfani².

C. IV.— Se Gilbertus in confessione accusat quod, dum esset in ecclesia, in delectationem consenserit cogitati adulterii.

Sol.— Circumstantia loci non erat, necessario, accusanda, quoniam mera delectatio morosa non importat sacrilegium reale.

1 Billuart, *l. c.*, § 1.

2 Fanfani, *Th. Mor.*, I. 327.

C. V.— Estne peccatum delectatio operis prohibiti sub 242
condicione ipsum constituyente extra prohibita, v. gr. delecta-
tio copulae cogitatae cum femina sub condicione: si haec
esset propria uxor?

Sol.— Certum est illam a peccato vacare in prohibitis iure
positivo, quoniam abstractione facta a prohibitione, esus
carnium feria VI esset licitus. Circa prohibita lege naturali,
quidam distinguunt inter delectationem voluntatis atque de-
lectationem sensitivi appetitus, quarum prima sequitur in-
tellectum—cuius est abstrahere ideoque proponere obiectum
praecisum a malitia—, altera sequitur imaginationem—cu-
ius non est abstrahere sive praescindere a malitia—, et
aestimant a peccato vacare primam, non vero alteram. Verior
tamen sententia utramque delectationem illicitam pronun-
tiat, quod delectatio est actus essentialiter absolutus: nemo
delectatur nisi de eo quod actualiter possidet; atqui delectari
de copula uti actualiter habita a soluto—non coniugato—est
semper malum. Accedit quod alias posset Religiosus delecta-
ri de copula cum Sempronia si non esset Religiosus; quod
absonum est.

C. VI.— Nicodemus confessario pandit animum suum an- 243
xium; nescit enim distinguere quandonam delectetur de re
cogitata et quandonam de ipsa tantum cogitatione, v. gr. de
modo ingenioso quo res fit vel narratur.

Sol.— Respondent Salmanticenses: «Cognoscetur delecta-
tionem esse praecise de ipso modo ingenioso, quando aequè
delectat si inveniatur in rebus licitis ac in illicitis; at si iu-
cundius aut avidius leguntur aut audiuntur carmina et can-
tilenae de rebus turpibus quam de piis et honestis, esto aequè
elegantia et artificiosa sint, convincitur manifeste delectatio-
nem non esse de modo artificioso, sed de substantia et malitia
rerum» \ Verum haec nequit accipi universalis regula, nam in

1 Salmaticenses Mor., tr. 20. c. 13, n. 40.

turpibus, praeter delectationem superioris partis, adest, aliter ac in honestis, delectatio inferioris; quam, etsi voluntas reiciat, non tamen supprimit. Magis universale critérium ipsi Salmanticenses¹ ex Salas repetunt, eos nempe decipi latenti delectatione carnis «qui frequentius et libentius loquuntur de occultis partibus corporis, de aegritudinibus, medicinis, vestibus et aliis ad eas pertinentibus, quarum memoria erumpit in risus incompositos, testes alicuius delectationis latentis. Unde monet (ipse Salas) cum Gersone amatorem castitatis, cum haec vel invitus audit, vel iusta de causa profert, debere nullum praebere signum laetitiae, sed serenitatem et gravitatem vultus in omnibus servare, seque gerendo ac si loqueretur de aedificanda domo vel ligno dolando».

IV. DESIDERIA PRAVA

Doctrina.

- 244 Desiderium pravum definitur: complacentia deliberata de malo quodam opere complendo. Dividitur in efficax, seu absolutum et inefficax sive condicionatum; primum importat praevisionem, saltem spem, operis perficiendi—eo igitur aliquis *vult* opus pravum perficere—; alterum vero illam excludit praevisionem et spem, innuit autem consensum in operis perfectionem si possibilem—eo propterea aliquis *vellet* opus pravum perficere atque transiret ad opus perficiendum, si condicio daretur².

Pravum desiderium efficax seu absolutum (ideoque propositum male agendi) est indubie peccatum eiusdem speciei

¹ Id., *ibidem*.

* Desiderium dicitur *condicionatum* non ex parte voluntatis sed ex parte obiecti: non enim agitur voluntas quam quis non habet sed quam haberet, verum voluntas quam hic et nunc habet operis perficiendi si condicio daretur (Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 456. ed. 3).

atque malitiae (ex parte obiecti et ex parte circumstantiarum eius) ac actus externus in quem fertur: nam desiderium habet actum externum ut obiectum, eumque quatenus ponendum et circumstantiis propriis vestitum; ideo Dominus: «Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo» (Mt., 5, 28). Qui ergo desiderat furari, peccat contra iustitiam; qui desiderat furari rem sacram, peccat insuper sacrilegio; qui desiderat furari a paupere id quo ad vitam is indiget, peccat furto atque homicidio pariter. Quoniam tamen nihil volitum quin praecognitum, desiderium non induit malitiam illam quae est circumstantiarum ignotarum actus: qui desiderat fornicari cum femina, non determinans alienam coniugem, is peccat luxuria, non tamen iniustitia.

Pravum desiderium inefficax sive condicionatum fere semper otiosum est, immo saepius et periculosum: otiosum quidem, cum sit de opere quod non est neque apprehenditur ut practice, propter condicionem, operabile; periculosum insuper, propterea quod phantasia perturbatur et via facile sternitur pravo consensui—v. gr. qui vellet uxorem ducere si non esset sacerdos, tentationem aliquam patitur ut sumat sibi uxorem non obstante sacerdotali statu.

Per se attamen condicionatum desiderium nullum peccatum dicit quoties condicio apposita totam auferat malitiam operis; in hac enim hypothese affectus voluntatis fertur in opus non peccaminosum—licitum est igitur velle induere alienas vestes sub condicione quod essent propriae, et velle feminae commisceri sub condicione quod foret sibi matrimonio iuncta. 245

At si condicio apposita non totam auferat malitiam operis, verum malitiam dumtaxat aliquam, pravum tunc desiderium inefficax non induit malitiam ab opere sublatam, bene tamen quae fuit relicta in opere: fertur enim voluntas in obiectum malum, tametsi minus malum quam extra condicionem—sa-

cerdos igitur qui desideraret fornicari «si non esset sacerdos», peccat fornicatione, nec tamen (ex eius parte) sacrilegio; item non peccaret sacrilegio qui vellet sacerdotem occidere «si non esset hic persona sacra», quamvis peccaret homicidio.

Denique, si apposita condicio nihil auferat omnino malitiae operis, utpote extra terminos moralitatis constituta, tunc fertur voluntas in opus malum, et quoniam consensus condicionatus nihil ponit omnino in rerum natura ex parte obiecti voliti, desiderium hoc condicionatum sequitur fortunam desiderii absoluti—condiciones ergo «si poena non esset apposita peccato, si non periclitaretur fama vel honor», etc., malitiam desiderii nec tollunt nec attenuant.

246 Pravum ergo desiderium inefficax quoad malitiam totalem aut partialem intactam vel relictam in opere induit illam gravitatem ac speciem quam habet (ex obiecto atque circumstantiis) actus externus in quem fertur—desiderans propterea fornicari cum coniugata, etsi non quatenus coniugata verum quatenus pulchra, peccat adulterii peccato—. Si tamen feratur desiderium in obiectum genericum, puta in fornicationem sive in feminam (indeterminatam), induet malitiam generis potius quam speciei—puta fornicationis, potius quam adulterii vel sacrilegii (ex parte obiecti).

Non est igitur necessarium ut paenitens distinguat, dum facit confessionem, num desiderium fuerit efficax aut inefficax, par cum utrique sit specifica malitia, in paenitentiae sacramento declaranda.

247 Specialis fit quaestio apud Auctores num condicio «si non esset prohibitum» auferat vel alleviet malitiam desiderii. Constat equidem in prohibitis iure dumtaxat positivo desiderium aliquid agendi «si non esset prohibitum» omni malitia vacuum, cum malitia in his vetitis tota ex una prohibitionem descendat—licet ergo velle manducare carnes si Ecclesia carnum manducationem non vetaret, si non esset

feria VI, etc.—. In prohibitis quoque naturali iure, desiderium operis liciti in peculiari casu vel eventu venit profecto licitum sub condicione huiusmodi casus vel eventus; sic quoaniam Deus, dominus vitae et mortis, praecipere potest homini occisionem alterius hominis, quantumcumque innocentis—quem ad modum praecepit Abrahae occisionem filii—, desiderium condicionatum hominem occidendi si Deus id praeciperet, etc., nequit dici peccatum—a fortiori non esset pravum sacerdotis desiderium nubendi si ab Ecclesia dispensatur a coelibatus voto h

Sed utrum in prohibitis iure naturali sive extra casum quo fierent licita sive universaliter pro ceteris quae, essentialiter mala, numquam licent, v. gr. si non esset prohibitum, blasphemare, Doctores non concordant. Videtur etenim in desideriis huius generis, non obstante condicione posita, affectum remanere ad opus pravum, v. gr. ad iniuriandum Deo. Plures attamen sentiunt optantem aliquid, vel intrinsece malum, sub condicione «si liceret», optime conscius opus quod agitur esse illicitum, praeterquam apponere condicionem qua opus malitiam exsueret, ostendere, potius quam desiderium, propensionem quandam naturalem: non enim consentit desiderium exsequi «si liceret», verum quia scit illicitum, abstinet a consensu—qui propterea non adest, sed adesset—. Ideo S. Alphonsus, qui hanc alteram sententiam dicit satis probabilem, «quando (inquit) obiectum illud tu optas dicendo si liceret, et scis non esse nec posse esse licitum, non vere optas, sed tantum tuam propensionem ostendis. Aliud vero esset, si optares malum illud obiectum non esse prohibitum; quia per se malum est velle inverti ordinem et legem naturae» 2.

1 Sed etiam tunc, quem ad modum Genicot (*Th. Mor.*, I, 171, ed. 1931) animadvertit, facile admiscetur voluntarius affectus sensibilis et non condicionatus ad obiectum hic et nunc vetitum.

3 S. Alphonsus, *Th. Mor.*, V, 13. ed. Gaudé.

248 Ideo omnes Auctores admonent confessarium ut distinguat num quae, rudes maxime, desideria condicionata paenitentes pandunt, revera sint signa dumtaxat propensionis, absque consensu vel affectu voluntatis in opus malum, quaeque propterea exsulant a peccato, saltem mortali.

Casus primus.

249 Torquatus, dum annuam peragit confessionem, haec inter alia accusat: Hominem infensum quoties vidi toties occidere concupivi «si id tamen possem physice», ipsum in duello superans, «et moraliter», evadens tum excommunicationem latam in duellantes, tum homicidii culpam.

Quae sit malitia huius desiderii.

Solutio

250 Agitur de desiderio homicidii condicionato seu inefficaci. Condicio autem triplex apponitur: potentia physica, immunitas a poena et immunitas ab homicidii peccato.

Condicio prima, ex parte virium corporis, extra limites vagatur moralitatis; malitiam ergo desiderii non aufert neque minuit—est casus huic similis: Inimicum occiderem, si haberem ensem—; hoc autem desiderium est peccatum grave.

Altera condicio, immunitas a poena, ad moralitatem est quoque impertinens; non igitur tollit neque attenuat malitiam desiderii; peccat igitur homicidio qui ob hanc tantum rationem abstineret ab occisione—etsi non incurrat excommunicationem, latam in duellantes, non in duellum desiderantes (336).

251 Difficultas est tota quoad tertiam sive postremam condi-

cionem, immunitatem ab homicidii culpa: facerem homicidium si id possem absque peccato—casus similis: Inimicum occiderem, si liceret—. Et primo quidem id aliquando licitum, v. gr. ex mandato Dei, ex commisione iudicis; hunc casum aliumve similem Torquatus (in confuso) respicit. Sed praeterea, extra casus huiusmodi quoque, qui est conscius homicidium esse sibi illicitum, is non videtur affici male ad inimicum, quasi desiderans ultionem sumere, quasi ipsum prosequeretur odio, etc.: nam et vindicta peccatum est, et odium ad inimicum non exultat a culpa. Hic igitur desiderat se vindicare «si liceret», etc.; per consequens, intentio paenitentis alia non est nisi ostendere (ut diuturnitas ipsa desiderii convincit in homine refugiente peccatum grave) voluntatis suae propensionem malam, quae consensum praestaret homicidio, vindictae, odio, etc., nisi divina lex eum arceret, cuius tamen recordatione propensionem illam naturalem reprimit. Quo quidem pacto et sacerdotes et religiosi frequenter tentationes superamus.

Nec propterea quod triplex condicio ponitur et tertia adjuvatur praecedentibus, eius negamus efficaciam: prout miscuit enim natura dulce et utile, sic miscuit divina Providentia spirituale et corporale, culpam et poenam, ut quod seorsim obtinere non poterant consequantur coniunctim.

Desiderium ergo Torquati non fuit mortaliter peccaminosum. A quo tamen oportet ipsum elongari ne homicidio consentiat, etsi illicito.

Alii casus.

C. II.— Fidentius desideravit rem sacram furto accipere; 252
satisne facit integritati confessionis dicens: Volui furari? Desideravit quoque sumere vindictam de inimico, quin determinaret modum quo volebat istam vindictam; immo carnaliter peccare cum persona alterius sexus, quin sibi conscius sit de actu specifico committendo; sufficitne si in confessione

dicat: Volui vindictam sumere de inimico meo, volui peccare cum persona alterius sexus?

Sol.— Respondet Prtimmer: ad primum, negative, sed debet dicere: volui furari rem consecratam, nam peccatum illo pravo desiderio commissum non tantum est furtum mentale, sed etiam sacrilegium mentale; ad secundum vero, affirmative L

253 C. III.— Pater Laurentius, Ordinis Minorum, duplex hoc dubium confessario exponit: Num licita sint haec desideria: Si non essem sacerdos inimicum occiderem, peccarem si non esset infernus; et: Num mortaliter ille peccet qui dicat: Nisi meum statum religiosum aut sacerdotalem spectarem, vindicarer.

Sol.— Ad primum, negative, quoniam in casu obiectum desiderii adhuc manet res mala; deminuta forsitan in sua malitia propter adnexam condicionem. Sic Fanfani 2.

Ad secundum, affirmative, ideo quod in hoc actu, quando voluntati verba consonant, condicio non aufert vindictae malitiam, ideoque voluntas est quasi absoluta. Ita Salmanticenses 3.

254 C. IV.— An mortaliter peccet qui diceret: Si hoc mihi accidisset quando eram iunior, vindicarer.

Sol.— Reponunt ipsi Salmanticenses: Affirmative, dummodo adsit desiderium vindictae, si eo tempore talis iniuria ei accideret, quoniam etiam illa condicio adhuc non tollit malitiam actus. Si tamen per illam condicionem dumtaxat exprimat perversum animum, qui talis erat ut, si illo tempore iniuria accideret, vindictam sumeret, tunc caret omni culpa 4.

1 Pr Ummer, *Th. Mor.*, I, 403. ed. 1931.

1 Fanfani, *Th. Mor.*, I, 326.

3 Salmaticenses *Mor.*, tr. 20. c. 13. n. 63

4 Id., *ibidem*.

C. V.— Quo peccato peccavit Blasius cum secum ipso lo- 255
quens dixit: Si non essem Christianus, fornicarer?

Sol.— Peccavit fornicationis voluntate, quoniam fornicatio non modo Christianis est illicita sed et paganis quoque; ideoque apposita condicio non aufert inordinationem actus voliti.

C. VI.— Peccavitne Marsilius coniugatus dicens ex animi 256
sententia: Uxorem alteram acciperem, si Deus permetteret polygamiam? Item Iacobus parochus qui diceret: Si non essem sacerdos, Valentinam ducerem uxorem?

Sol.— Ad primum, negative, nam ponitur condicio in qua liceret multiplex coniugium. Ad secundum quoque, negative, ob eandem causam; «nemo tamen non videt quam otiosum et periculosum sit huiusmodi desiderium» 1.

C. VII.— Estne licitum desiderium alicuius rei graviter 257
prohibitae sub condicione quod mihi liceret aut peccatum non esset?

Sol.— Respondent Salmanticenses: «Affirmative; immo et si versetur tale desiderium circa prohibita iure naturae aut positivo. Et ratio est, quia desiderium sumit speciem ex obiecto sub condicione concupito; sed obiectum sub condicione posita, quod non esset prohibitum, non est malum: ergo nec est malum tale desiderium. Nec ex hoc sequitur (ut ait Vâzquez) quod velit non esse prohibita ea quae iure naturae prohibentur: quia aliud est desiderare quod non sit prohibitio de aliquo opere iure naturae prohibito, et aliud est velle tale opus ex suppositione quod non esset prohibitum...; secundum est bonum, et est quod defendit nostra conclusio. Praeterea, tale desiderium circa iure naturae prohibita (in quibus est maior difficultas) non est efficax, sed quaedam in illa propensionis ostensio, casu quo liceret» 2.

» Prümmer, *l. c.*, n. 404.

* Salmanticenses *Mor.*, *l. c.*, n. 62.

V. GAUDIUM PRAVUM

Doctrina.

258 Gaudium pravum definitur: complacentia deliberata de malo opere a se vel ab alio patrato. Habet igitur obiectum opus malum praeteritum, in memoriam modo revocatum.

Cum importet approbationem mali operis prout opus fuit patratum, igitur in concreto, induit gravitatem et speciem operis cum omnibus eius circumstantiis: qui ergo gaudet de copula habita cum moniali aut cum aliena uxore, is peccat sacrilegio carnali aut adulterio, nec satisfacit integritati confessionis (140) dicens: gavisus sum de peractis actibus obscoenis, gavisus sum de patrata fornicatione. Quoniam autem opus patratum remanet obiective malum etsi non fuerit subiective culpabile, qui gaudet de transgressione materiali legis, non modo naturalis verum et positivae, gaudet et approbat opus pravum—circumstantia subiectiva, v. gr. ignorantiae, non aufert ab opere obiectivam malitiam: peccat igitur qui gaudet de homicidio patrato in ebrietate, de Horarum omissione vel ieiunii fractione ex inadvertentia.

At si gaudium versetur circa modum dumtaxat eumque non malum, modum puta ingeniosum, quo opus malum effectum fuit—sic delectant nonnullae narrationes actorum bellorum, rixarum vel furtorum—, caret malitia ex sese |;

¹ *tPer accidens*, idest ratione periculi gaudendi de Ipsa re mala—quod periculum ut in pluribus adest—illicitum evadere potest. Et haec est ratio, cur non de facili excusandi sunt qui legunt vel audiunt de illicitis hoc solo motivo, ut ipsi aiunt, gaudendi vel sibi complacendi de ingenioso vel litterario modo quo res narrantur et describuntur: siquidem ut in pluribus verum motivum est complacentia in ipsa re mala. Cuius signum est quod si de actionibus honestis eodem ingenioso et litterario modo sermo habetur, huiusmodi lectores vel auditores plerumque multo minorem delectationem perciperent» (Fanfani, *Th. Mot.*, I, 327).

quam habere potest ex circumstantiis, prout supra (235) de cogitatione prava dictum est.

Licetne gaudere de malo opere ob bonum eius effectum? 259
 Responsio negativa, communis, si opus exstitit formaliter malum, id est obiective atque subiective peccaminosum: ob bonum etenim effectum opus malum non efficitur bonum, nec propterea potest approbari. Negativa quoque, ob eandem rationem, responsio plurimum, si opus exstitit malum dumtaxat materialiter, id est obiective, non vero subiective peccaminosum. Verum et illi qui mitiori sententiae suffragantur, gaudium reprobant quoties opus materialiter malum cessisset in damnum alterius et huic damno postponendus esset (ex caritatis ordine) bonus ille obtentus effectus: fuit enim damnata propositio: «Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas» (Denz., 1165).

Licet tamen gaudere de operis mali effectu bono: bonus 260
 enim effectus nihil fert inordinati si praescinditur a causa mala; in casu autem gaudium est de effectu, facta abstractione a causa. Non ergo peccat filius qui gaudet de obtenta hereditate ob patris occisionem, neque mulier qui gaudet de lucro sibi comparato ex meretricio. Haec attamen gaudia manent periculosa, quandiu manet periculum aprobandi causam pravam bonorum effectuum.

Ad gaudium revocantur: iactantia de peccato commisso; tristitia, dolor seu displicentia tum de malo non patrato tum de bono patrato; ideoque et exprobratio, qua quis in faciem alicui obicit sive bonum quod fecit sive malum a quo faciendo abstinuit.

Casus primus.

Anno ab auspiciatissimis nuptiis nondum elapso, Fabius 261

inter venandum casu occiditur. Inde Gertrudis, tam cito orbata coniuge amantissimo, ad monialium monasterium confugit, ubi, exacto probationis tempore, vota emisit atque religiose conversatur. Ad confessarium autem cum accedit, se frequenter accusat quod interdum paenituit castitatis voti, idque maxime dum tentationibus urgetur vehementibus. Sub praetextu quoque generalis confessionis, non raro accusat fornicationem cum sponso habitam, sed ita vivide ac minutatim eius cunctas describit circumstantias ut confessarius suspicetur non tam accusationem dolorosam peccati agi quam voluptuosam eius recordationem.

Quid dicendum?

Solutio

262 1.º Quoad tristitiam de voto emisso. Cum agatur de bono opere non praecepto, omnes Auctores docent tristitiam illam, quandiu voluntas perstet votum fideliter servandi, culpa gravi vacare: admittunt tamen eam esse, ut plurimum, peccatum leve, quoniam, obligatione iam suscepta, tristitia illa caret ordinarie motivo rationabili; interdum tamen nullum peccatum, si votum videlicet imprudenter emissum fuerit. Qui certo postremus casus quoad Gertrudem facilis quia votum fuit emissum post inexpectatum infortunium.

263 2.º Quoad descriptionem vividam et minutam circumstantiarum fornicationis. Non temere suspicatus est confessarius Gertrudem affici, quantumvis inconscienter, gaudio pravo. Loquitur enim vidua quae inopinato amisit brevi tempore coniugem dilectissimum; vidua quae interdum paenitet voti castitatis emissi, quaeque non raro patitur vehementes luxuriae tentationes. Ipsa descriptio vivida atque minuta circumstantiarum prodit etiam loquentis animum a peccati delectatione non remotum. Adest saltem in proluxa illa descriptione complacentiae pravae periculum. Quapropter

confessarius ne permittat Gertrudem de fornicatione verbum amplius facere. Si etenim quando declaratio peccatorum necessaria est, confessarius cavere debet ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Decalogi praeceptum, quemquam detineat (can. 888, § 2); «quin immo si paenitens sponte, seu prae inscitia seu prae scrupulis seu tandem prae malitia, in explicandis luxuriae peccatis vel tentationibus modum excedat aut pudicitiam verbis offendat, id confessarius prudenter, at prompte ac fortiter, cohibere ne omittat»¹; a fortiori cum agitur de declaratione peccatorum libera, qualia sunt peccata iam directe remissa et quorum declaratio in confessione generali sufficit summatim fiat etiam tunc cum utiliter commendatur.

Alii casus.

C. II.— Licetne viduae gaudere de copula habita in matrimonio? 264

Sol.— «Vidua quae delectatur de praeteritis actibus coniugii non peccat mortaliter, quia delectatur de operibus sibi licitis pro tempore quo fuerunt licita. Plus est enim explicite approbare quam delectari, sed constat quod vidua licite approbat praeteritas delectationes, ergo. Peccat attamen venialiter in huiusmodi memoria, quia caret tam necessitate quam pietate huiusmodi delectatio... Dicimus quod memoria delectationis in vidua excusatur; verum est si nihil aliud adiungatur; sed si adiunxeris quod hinc in vidua insurgunt in concupiscibili appetitus, aut in carne, commotiones, oportet ad regulas de annexis malis aut periculis recurrere.» Sic Caietanus 13

¹ Normae S. Congregationis S. Officii (16 mail 1943) *de agendi ratione confessoriorum circa VI Decalogi praeceptum*, apud Fanfani, *l. c.*, III, p. 357.

³ Caietanus, *Summula de peccatis*, v. *Delectatio morosa*, cd. 1568.

265 *C. III.*— Se Tiburtius in confessione accusat quod gaudet gaudio magno cum sibi narrantur vitia atque peccata proximorum.

Sol.— Si Tiburtius gaudet de proximorum vitiis et peccatis, habemus gaudium de peccatis alienis. Si tamen gaudet, non de peccatis, sed de cognitione peccatorum proximi, tunc non est gaudium de peccatis verum de cognitione (235); haec autem potest esse periculosa (saltem ut propterea proximum contemnat), sicut et eius appetitus potest esse excessivus, ideoque peccaminosus (curiositas).

266 *C. IV.*— Rutilius a confessario exquirat num liceat gaudere de periurio, etsi materialiter tantum malo, quod alium a poena liberavit?, et: Num liceat gaudere de aliqua transgressione materiali ideo quod materialis exstitit?

Sol.— Ad primum, negative. Ad secundum, affirmative, quoniam tunc gaudium non est de transgressione sed de modo transgressionis dumtaxat, quod haec videlicet fuit inculpabilis.

267 *C. V.*— Felicianus gaudet de privata occisione hostis Ecclesiae ob commoda inde fidelibus consecuta; immo et de hereditate quam ex patris occisione consecutus est et de exoneratione quam ex culpabili pollutione fuit expertus. Eius uxor, Mathildis, gaudet de divitiis ex adulterio sibi comparatis.

Sol.— Quoad Felicianum: etsi non liceat gaudere de homicidio vel pollutione voluntaria, licet gaudere de beneficiis ex homicidio vel pollutione consecutis. Quoad Mathildem, pariter: gaudium de adulterio, illicitum; licitum vero de divitiis ex adulterio obtentis. Sed oportet semper in his similibusque casibus ut qui de effectu gaudet odio prosequatur eius causam. Ita Fanfanil.

1 Fanfani, *l. c.* I, 327.

C. Vi.— Quomodo peccant sive iuvenes dum se iactant veluti certantes quis plura commiserit peccata, se nempe gloriantes de mortalibus in communi, sive exprobrantes aliquem de peccato mortali omisso? 268

Sol.— Iactantia illa induit unam speciem, in confessione declarandam, peccati videlicet mortalis. Haec autem exprobratio induit malitiam illius peccati cuius omissionem habet materiam.

C. VII.— Peccatne qui tristatur de peracto opere bono? 269

Sol.— Respondet iam laudatus Fanfani: «Tristari de re bona obligatoria, e. g. de Missa audita die dominica, eandem malitiam habet ac gaudere de re opposita mala, e. g. de omissione Missae; tristari autem de re bona non obligatoria eandem non habet malitiam et gravitatem ac gaudium vel desiderium de opposito. Ratio est, quia tristitia de bono non obligatorio reducitur ad peccatum acediae vel aliquid huiusmodi, quae de se, seu ex genere suo, non excedit, etiamsi agatur de re gravi, peccatum veniale; dum gaudium de malo participat malitiam obiecti mali circa quod versatur. Ita, e. g., si quis tristitiam acciperet de voto emisso propter difficultatem quam in eo implendo repent, retinendo tamen bonam voluntatem votum implendi, non nisi venialiter peccaret; imo si temere votum emisisset, de hac temeritate tristando nullatenus peccaret; nisi forsitan tanta inde resultaret animi demissio, ut periculo sese exponeret votum frangendi; tunc enim posset et leviter et graviter peccare, attenta gravitate periculi» x.

¹ Fanfani, *l. c.*

VI. MALI DESIDERIUM ET GAUDIUM

Doctrina.

270 Prout desiderium et gaudium pravum, de quibus hactenus (244 ss.), habent pro obiecto peccatum, saltem materiale, ibi quidem futurum, vel futuribile, hic e contra praeteritum, ideoque malum culpae, desiderium et gaudium de quibus modo habent pro obiecto malum physicum, id est malum poenae. Quapropter quaestio vertitur, non qualem induant malitiam, verum· utrum sint mala.

Liquet autem caritatem nos urgere ut non nobis dumtaxat sed et proximo quoque velimus bonum atque interdum beneficiamus insuper. Nefas est igitur alicui optare malum sub ratione mali, quapropter illicitum desiderium quo quis vellet proximum, tametsi peccatorem, privari libertate, integritate, vita, divitiis; nefas pariter gaudere de malo proximi sub ratione mali, et ideo illicitum gaudium de eius incarceratione, mutilatione, morte, penuria.

271 Est tamen in iis quae diligenda sunt ex caritate servandus ordo. Porro in hoc ordine et bonum totius praeponderat super bonum partis et privatum bonum spiritus supra bonum privatum corporis. Sicut igitur licet interdum velle amputationem brachii ad salvandum corpus, sic et licet interdum desiderare corporis aegritudinem ad conversionem animae, atque civis exilium ad reipublicae tranquillitatem. Quapropter et licet gaudere de haeresiarchae morte, alii ne abducantur a vera fide. Salvo igitur caritatis ordine, ad quem oportet bonum intentum adaequare saltem malum optatum, licet desiderare proximo malum physicum propter finem bonum, atque de malo physico proximi gaudere ob bonum quem obtinuit effectum.

Sed quamvis medicinam velit aegroto adhibitam medicus benevolus, non ideo tantam medicinam rationabiliter adhibet quantam potest: medium enim ad salutem recuperandam, medicina est mensuranda ex fine. Caritas similiter, quae nos prohibet a damno proximi, profecto iubet ut cum medicina amara aut dolorosa est proximo adhibenda, habeat quam minimum sit possibile amaritudinis et doloris h Dum ergo licet desiderare proximo malum physicum vel gaudere de malo physico quod ipsi contigit, petit caritas ne plus ei desideremus malum quam intentus exitus postulat, nec de eius malo gaudeamus quod constat fini intento superfluum.

Quoniam contrariorum est eadem ratio, quae de gaudio mali diximus valent quoque de tristitia boni, dum quis nempe tristatur quod proximus pollet auctoritate, emicat scientia, vel divitiis abundat.

Casus primus.

Victor, qui Ecclesiae societatisque calamitates ob hodie- 272 nos mores atque usque increscentem inimicorum Christi numerum vehementer dolet, nefariis viris qui huiusmodi malorum causa existunt, exitium mortemque non raro exoptat atque de acceptis ab eisdem cladibus quam maxime gaudet. Haec vero dum confessario narrat, simul addit se, in suis de-

l «Possumus illis quos ex caritate diligimus, velle aut inferre aliquid malum temporale, propter tria. Primo quidem, propter eorum correctionem. Secundo, inquantum aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicuius multitudinis, vel etiam totius Ecclesiae; unde dicit Gregorius: *Evenire plerumque solet ut, non amissa caritate, inimici nos ruina laetificet; et rursus eius gloria, sine invidiae culpa, contristet; dum, corruente eo, quosdam erigi bene credimus; et, proficiente illo, plerosque iniuste opprimimus formidamus.* Tertio, ad servandum ordinem divinae iustitiae, secundum illud Psalmi: *Laetabitur iustus cum viderit vindictam** (S. Thomas, *Q. D. de caritate*, a. 8, 10m).

Cavendum attamen ab affectu iniustae vindictae, facili ubi nostra agitur causa, seu ubi peccator est simul inimicus.

sideriis, recto semper fine duci, ut scilicet innumeris quibus Ecclesia atque societas premuntur malis finis tandem imponatur.

Quid Victori confessarius respondere ac suadere debeat.

If

fl

Solutio

273 Non est, per se, damnandus Victor ideo quod exitium mortemque viris illis nefariis optat ut innumeris quibus Ecclesia atque societas premuntur malis finis tandem imponatur; difficile est etenim aliam medicinam adhibere communitati ecclesiasticae aut civili quae ex illorum iniuriis supponitur aegrotata et vulnerata. Agitur de bono communi, de bono spirituali plurimum, potiori certe illorum prosperitate et vita.

Opponi posset quod melius est optare illorum conversionem. At hoc remedium potius est ideo remedium difficilius: ut plurimum hi viri quandam apparentiam obstinationis prae se ferunt. De reliquo illorum mors aut exitium potest cadere, et cadit, sub desiderio (saltem implicito) condicionato, scilicet «nisi convertantur».

Unum quod dubium superest est de utilitate praedicti desiderii. Si licet petere a iudice vindictam, hanc quoque desiderare licet; si illam licet postulare a Deo, hanc etiam licet optare. Desiderium attamen quod omni caret effectu —nisi sumatur ut signum dilectionis boni communis aut divini—, caret utilitate.

274 Idem dicendum de laetitia eius in illorum hominum adversis. Si laetatur ob obtentam tranquillitatem fidelium aut civium, ob obtentam emendationem hucusque adversariorum, ob Dei iustitiam manifestam sibi, nefariis, omnibus, tunc profecto motivum atque utilitas sufficiens; si exinde nulla utilitas, tunc gaudium Victoris condemnandum.

Pro futuro confessarius Victorem suadeat ut ab his desideriis atque gaudio absteat: sunt etenim periculosa, facile cum dent anxam odio \

Alii casus.

C. II.— Licetne optare peccatori damnationem aeternam? 275
Et quatenus negative, quomodo sunt intellegendae imprecationes Scripturae, v. gr. «Convertantur peccatores in infernum?» (Ps., 9, 18).

Sol.— Ad primum, negative, quoniam caritas tum ad nos tum ad proximum respicit principaliter beatitudinem, et ideo peccatores diligere tenemur quatenus sunt capaces beatitudinis, cui profecto obtinendae daemones atque damnati impares. Ad secundum, respondet D. Thomas: «Huiusmodi imprecationes quae in sacra Scriptura inveniuntur, tripliciter possunt intellegi. Uno modo, per modum praenuntiationis, non per modum optationis; ut sit sensus: *Convertantur peccatores in infernum*, idest *convertentur*. Alio modo, per modum optationis: ut tamen desiderium optantis non referatur ad poenam hominum, sed ad iustitiam punientis, secundum illud: *Laetabitur iustus cum viderit vindictam*. Quia nec ipse Deus puniens *laetatur in perditione impiorum*, ut dicitur Sap. I, sed in sua iustitia: *quia iustus Dominus, et iustitias dilexit*. Tertio, ut desiderium referatur ad remo-

1 «Caute confessarius agere cum iis debet qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo vel alieno, vel ex damno aut morte alterius; subinde enim huiusmodi delectationes non ex emolumento solo, sed ex gaudio de ipso peccato, aut malo proximi oriuntur. Idem dicendum est de eo qui dicit se gaudere de bono spirituali proximi, sed quod provenit ex eius infortunio, v. gr. ex gravi infirmitate, iactura rerum temporalium, etc. Potest enim interdum subrepere gaudium de proximi potius malo, quam de bono effectu inde proveniente, praesertim si inimicitiam cum eo antea gerebat. Confessarius igitur, si res postulare videtur, mentem paenitentis prudenter introspicere non negligat» (FERRERES, *Th. Mor.*, I, 254, ed. 1932).

tionem culpae, non ad ipsam poenam: ut scilicet peccata destruantur et homines remaneant» x.

- 276 C. III.— Estne licitum desiderium mortis?, et quatenus negative, quomodo peccant homines qui in ordinariis huius vitae angustiis saepe exclamant: Utinam essem mortuus! Utinam essem in sepulchro!, etc?

Sol.— Respondet Prümmer: ad primum: est licitum, si ex motivo boni melioris, v. gr. coniunctionis cum Deo vel immunitatis a peccato; est moraliter imperfectum, cum quis sic abhorret a gravi morbo, incarceratione, durissimo vitae statu, etc., ut malit mortem quam istud malum sustinere; est illicitum, si ex motivo pravo, v. gr. ex rebellione contra divinam voluntatem, ex impatientia quoad vitae difficultates tolerandas—raro tamen hoc mortis desiderium est graviter illicitum, quia saepe non est ita voluntarium et serium—. Ad secundum: «Huiusmodi exclamationes profecto sunt vitandae et objective illicitae, sed saepe sunt actus semi-deliberati nec serio voliti: unde aut nullum aut veniale sunt peccatum» 2.

- 277 C. IV.— Licetne absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas? Licetne uxorato desiderare mortem uxoris ad aliam sibi matrimonio copulandam, aut caelibus optare mortem mariti ad huius viduam ducendam in uxorem?

Sol.— Ad primum, negative; contraria enim sententia fuit damnata ab Innocentio XI (Denz., 1165). Ad secundum, negative pariter.

- 278 C. V.— Licetne uxori desiderare mortem mariti a quo, citra spem emendationis, durissime tractatur; aut mortem fi-

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 6, 3m.

3 Prümmer, *Th. Mor.*, II, 117, ed. 1928.

liae ideo quod, ob deformitatem, inopiam, etc., eam non poterit, ad animi sui optata, nuptui tradere honesto?

Sol.— Ad primum, disputatur; negativa tamen sententia melior est ac tutior. Ad secundum, negative, nam praeferret emolumentum temporale bono ipsius vitae.

C. VI.— Dubia haec Fridericus confessano exponit: Si 279 cum debita moderatione id faciat, potestne quis absque peccato gravi de alicuius vita tritari et de eius morte gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod emolumentum temporale? Peccatne qui carcerem desiderat malefactori sibi notissimo et de secuta incarceratione valde laetatur propterea quod existimat carcerem esse necessarium pro conservatione iustitiae?

Sol.— Ad primum, negative, cum contraria sententia fuerit ab Innocentio **XI** proscripta (Denz., 1164). Ad secundum: quandiu quis appetat et laetetur de malefactoris incarceratione ad tutandam iustitiam, eius desiderium et gaudium sunt profecto licita; cavendum est attamen ab affectu iniustae vindictae, facili ubi nostra agitur causa. Non est porro improbabile quem hoc moveri affectu si agitur de malefactori sibi notissimo. Ideo confessarius in casu petat ab inquirente num ille malefactor sit inimicus eius.

C. VII.— Licetne tritari quod honores seu dignitates in- 280 dignis conferantur? Item, de potentia atque divitiis improborum?

Sol.— Ad primum, affirmative, si tristitia sit de collatione quatenus facta ab homine qui, contra iustitiam distributivam, indignos dignis praefert; negative, si sit de collatione prout haec subest divinae providentiae, nam verbo D. Thomae, «pertinet ad divinam iustitiam ut virtuosus det spiritualia bona; et de temporalibus bonis vel malis tantum det

eis, quantum sufficit ad salutem» \ Ad secundum, affirmative, cum quis ideo tristatur quod iure timet malum inde futurum virtuosus, religioni, iustitiae. Tamen, prout Caietanus animadvertit, «si ambiguum est an aliquis potentia vel divitiis abutetur in alterius damnum, quamvis licite timeat et caveat, non tamen licite tristatur absolute de illius potentia vel divitiis» 1.

VII. PECCATI OCCASIO

Doctrina.

281 Peccati occasio est aliquid extrinsecum—-persona, scilicet, aut res externa—-praebens alicui stimulum vel commoditatem ad peccandum³.

Distinguitur :

1.° Ratione influxus, in remotam et proximam. Remota seu levis dicitur quae habet equidem quandam vim allicien-
di ad peccatum, parvam attamen, ita ut lapsus non sit probabilis, prudenter videlicet timendus. Proxima, e contra, sive gravis, quae multum ad peccatum invitat, ita ut lapsus sit prudenter timendus quia vere seu solide probabilis—quantumcumque et probabilis supponatur spes non peccandi—.

1 S. Thomas, *l. c.*, I-II, 87, 7, 2m.

3 Caietanus, *in 11-II*, 36, 2, n. 3.

3 «Unde distinguitur *a)* a principiis internis quae ad peccatum inclinant, uti sunt complexio corporalis, passiones, concupiscentia et habitus mali: *b)* a periculo peccandi, quod tum internum tum externum esse potest et latius patet: est scii, impulsio ad peccandum quae, si a persona vel a re externa proveniat, occasio vocatur, si ab intrinseco est, simplex periculum dicitur, ita ut omnis occasio sit periculum, sed non omne periculum sit occasio; *c)* a scandalo, quod dicit occasionem peccati ab actione externa seu dicto vel facto alterius; unde licet occasio peccati in omni sit scandalum, non tamen scandalum est omnis occasio» (Merkelbach, *Th. Mot.*, III, 663, ed. 3).

Occasio proxima subdividitur in proximam absolute et proximam relative. Absolute, seu per se, sive in abstracto, illa est proxima in qua solent homines, ut plurimum, peccare; relative seu per accidens seu in concreto est proxima in qua determinato seu huic subiecto probabile est peccatum. Exemplum primae, lectio libri valde obsceni, vel concubinatus, vel cubatio cum persona alterius sexus; exemplum alterius, mercatura pro iniusto, vel diuturnum colloquium cum puella pro impuro iuvene ¹.

2.° Ratione durationis, quaedam occasio est continua seu 282 in esse, et quaedam est interrupta seu in fieri. Illa est semper praesens, quin quaeratur, v. gr. commoratio cum coniuge onanista, cohabitatio cum concubina. Altera non est semper praesens sed per intervalla vel occurrit vel quaeritur, v. gr. meretrix pro luxurioso, caupona pro bibulo.

3.° Ratione causae, quaedam occasio est voluntaria sive libera, quae saltem sine gravi incommodo removeri potest seu vitari, v. gr. periculosa procatio adamantium; quaedam, ex adverso, involuntaria seu necessaria, quae videlicet est irremovibilis aut physice—v. gr. societas concubinae in eodem carcere, in eadem navi—aut moraliter seu sine gravi incommodo, id est absque peccato, gravi scandalo, periculo in-

¹ Indicia quibus dignosci potest occasio proxima seu peccatum probabile: *a*) a priori, seu deficiente personali experientia: ex communiter contingentibus, ob obiecti illecebras et humanam fragilitatem, ex vehementia tentationis, habitu vitioso, passione aut personali Indole; *b*) a posteriori, sive duce experientia, ex frequentia relapsus, si quis videlicet his in circumstantiis frequenter lapsus fuerit—non ergo requiritur ut fere semper aut frequentius lapsus evenerit, nam ipse frequens lapsus praeteritus reddit et futurum probabilem; «neque requiritur frequentia aliqua lapsuum absoluta, nempe numerus peccatorum in se notabilis, sed relativa sufficit, pro numero scilicet vicium quibus quis occasioni fuit expositus, et aderit e. g. si in duodecim visitationibus solet peccare quinque vel sexies; item, si per biennium ter quaterve dumtaxat in anno feminam inviseret et cum ea fere semper peccaret; imo, si per triennium semel tantum in anno visitaret, et toties peccaret» (Afrtnys-Damen, *Th. Mor.*, II, 471, ed. 1939),

cidendi in malum par forsitan et maius, magno detrimento in bonis vitae, famae vel fortunae—v. gr. filius difficile valet relinquere domum paternam, alumnus vero scholam, licet ibi facile cum ancilla, hic cum condiscipulis invitamentum habeat ad peccandum.

283 Et omnium quidem sententia, non licet se exponere occasione peccandi proximae *, quandiu maneat relative proxima; sed peccat graviter qui se exponit proximae occasione peccandi graviter 2, et peccat leviter qui se exponit occasione proximae peccandi venialiter³: voluntas etenim, ex quo adit vel admittit tale periculum, se prodit affectam ad peccatum 4.

1 «Si periculum sit tam leve ac remotum, ut merae peccandi possibilitati aequiparari possit, non tenemur illud vitare; alioquin, ait Apostolus (I Cor. 5, 10), debueratis de hoc mundo exiisse. Et ratio est, quia periculum huiusmodi, proprie et moraliter loquendo, non est periculum» (Marc, *Inst. Mor.*, 1, 376, ed. 1927). Si tamen periculum verum sit, quantumvis leve, huic se scienter atque libere exponere, sine causa nempe et debitis cautelis exstat peccatum veniale—agatur occasio remota peccandi venialiter aut mortaliter—: est enim quaedam deordinatio in eo quod quis ponat actum inutilem cui coniungitur periculum peccandi, nec expectari tunc potest Dei auxilium pro peccato vitando.

«Si periculum cui se exposuit fuit leve ac remotum, et postea in peccatum grave consensit, duo utique peccata commisit: unum, nempe, et hoc leve, ponendo causam; alterum vero, et hoc grave, ponendo effectum. Ratio est, quia secundum peccatum magis novae voluntatis determinationi, quam causae prius positae, adseribi debet» (Marc, *l. c.*).

2 «Gravi periculo peccandi etiam ille se exponit, qui adit periculum quod initio quidem leve est, ita tamen ut praevideat illud postea evasurum grave, ut fieri solet in periculo peccandi contra castitatem, quia in illo periculo magis exardescit libido» (Noldin, *Th. Mor.*, I, 326, ed. 1931).

3 Hanc doctrinam communem extendendam esse ad occasionem proximam sensu nostro—quoties lapsus manet probabilis, quamvis non probabilior vel fere certus—ostendit Merkelbach (*l. c.*, 6GG) triplici ratione *a)* cum finis aliquis est absolute obtinendus, tutior pars est sectanda; sed vitare peccatum formale est finis absolute obtinendus; ergo illicitus in casu usus probabilismi; *b)* qui se exponit periculo peccandi, certo aliquando cadet; *c)* qui absque causa exponit vitam corporalem periculo probabili peccat graviter; ergo et qui se exponit periculo mortis spiritualis.

4 «Nec obstat dicere quod in periculo, etiam proximo, lapsus non

Qui ergo proximae occasione peccandi sese exponit, peccatum se exponit periculo—et quidem peccato eiusdem speciei et gravitatis ac peccatum cuius adit periculum—, etiamsi post periculum tentatum a peccato abstineat. Qui autem se exposuit occasione proximae peccandi et in ipsum postea ruit peccatum, is non duo peccata, at unum dumtaxat facit, primus enim consensus in periculum perseveravit usque ad lapsum. quo consummatur peccatum tunc incoeptum.

Existens ergo in occasione proxima necessaria debet id 284 agere quo occasio materialiter sive physice praesens efficiatur ei formaliter remota, adhibens opportuna media quibus aut minuatur vis sive occasionis sive concupiscentiae, aut augeantur vires animae renitentis; non enim temere sperat Dei auxilium qui subest necessitati. Si tamen media omittat huiuscemodi, voluntarie se subicit periculo peccandi, seu id amplectitur.

Existens vero in occasione proxima voluntaria debet ipsam deserere etiam materialiter seu physice, quoniam temere, ac propterea inutiliter, expectaret auxilium Dei quo pro victoria indiget. Hinc damnatae fuerunt propositiones: «Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur quam potest et non vult omittere, quin immo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi» (Denz., 1211-1213).

est certus sed solum probibilis, et aequae probabilis est non lapsus. Respondetur enim quod eo casu, quamvis lapsus sit incertus, certum est tamen lapsus periculum, cum istud constituatur in ipsa probabilitate lapsus, lam vero, si nefas est uti opinioni probabili, sine iusta causa, cum periculo damni alieni, spiritualis vel temporalis, quanto magis ubi periculum imminet certum propriae animae» (Marc, l. c., n. 374).

Casus primus.

285 Lucilia pia puella et a peccato abhorrens saepe ab hero suo Liberio ad turpia sollicitatur. Cuperet misera occasionem deserere; sed cum a Liberio maius stipendium accipiat, et alium honestum locum difficulter invenire possit, confessarius ei permittit, dummodo mediis utatur quibus occasio reddatur remota, in eodem famulatu remanere.

Num recte confessarius?

Solutio

286 Lucilia versabatur in occasione necessaria: moraliter enim nequibat a Liberio discedere, ab hoc cum maius stipendium acciperet nec alium locum honestum invenire facile posset. Sed quamvis ageretur occasio absolute atque materialiter proxima, iure fuit a confessario ipsi permissum ut pergeret Liberio famulari, tum quoniam occasio non erat ei proxima relative, nam ipsa dicitur «pia puella et a peccato abhorrens», cum quoniam occasio vertebatur saltem formaliter remota, ob usum mediorum huic fini accommodorum. Ideo S. Alphonsus, post continuatorem Tournely: «Ancilla vivide sollicitata ab hero, tenetur ab illius domo discedere... Haec tamen intellegenda sunt si huiusmodi persona (nempe ancilla) sit fragilis et parum devota; nam si esset pietati dedita et cauta, et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas ac passioni obviandum, tunc eam non obstringerem ad occasionem auferendam» h Ita quoque Mare: «Hinc est cur ancilla, obnixe ab hero sollicitata, generatim teneatur ab illius domo discedere. Dicimus *generatim*; nam si esset pietati valde dedita, multum cauta, et opportuna semper reme-

dia adhiberet, non esset absolute ad discessum adstringenda» h

Attamen confessarius, inter media quibus occasio obiective proxima fiat reapse subiective remota, non tantum orationejn commendare debet, verum et imponere necessarias industrias, v. gr. ne versetur sola cum solo in loco clauso, ne quid faciat quod heri in ipsam adaugeat sympathiam sed omne, contra, quidquid hanc sit aptum minuere, non exclusa comminatione pravum eius amorem denuntiandi suis aut eius coniunctis.

A lii casus.

C. II.— Visitatio tabernae pro homine vitio ebrietatis valde dedito estne occasio proxima? 288

Sol.— Affirmative, ait Prümmer².

C. III.— Qui cum famula peccavit ter vel quatter in anno inveniturne in occasione proxima?

Sol.— Negative, per se loquendo. Ita Lârraga³.

C. IV.— Faustus versatur in occasione proxima cum femina quae domi commoratur quamque eicere nequit sine scandalo, gravi infamia vel notabili detrimento in temporalibus; poteritne absolvi quin feminam eiciat? 289

Sol.— Respondent Salmanticenses⁴: Affirmative, quando paenitens prudenter creditur accedere cum legitimo dolore et proposito non peccandi, paratus ea omnia adhibere media quae prudens confessarius praescribit et sperari potest non casurum. Ut autem confessarius (adiciunt) possit prudenter credere illum accedere sic legitime dispositum, non parum

¹ Marc, *l. c.*, II, 1820.

² Prümmer, *Th. Mor.*, III, 449, ed. 1928.

³ LArraga-Lumbreras, *Prontuario de Teol. Mor.*, II, 468.

⁴ Salmanticenses *Mor.*, tr. 6, c. 5, n. 65.

iuvat si peculiaria signa doloris ostendat, uti sunt lacrimae, planctus, si ieiunia praemiserit, orationes, eleemosynas et similia, si diligentiam in remedium pravae consuetudinis adhibuerit, si prompte admittat consilia et paratus sit media quae illi praescribuntur, eatenus nondum tentata, exsequi.

- 290 C. V.— Quid de medico qui dum feminis medetur peccat frequenter nec officium deserere potest sine gravi incommodo, officio etenim alitur?

Sol.— Confessarius se cum illo gerat ac cum iis qui versantur in occasione proxima involuntaria. Si tamen, omnibus mediis adhibitis, nihil proficiat, ipsi plane aperiat ulteriorem absolutionem denegandam quandiu aut emendationem nullam ostendat aut officio medici se abdicet: Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Sic Larraga

- 291 C. VI.— Clothildes, quae ancillae fungitur officio penes familiam religiosam moribus, cum hero Marsilio qualibet fere hebdomada, sollicitata, peccat. Confessario urgenti illius famulatus desertionem Clothildes obtemperare renuit, quia Marsilius emendationem iam promisit et a mense revera est emendatus, et quoniam a quinquennio stipendium hic non persolvit nec persoluturus sit discedenti.

Sol.— Supponimus: *a)* quod permanentia Clothildis in domo Marsilii non importet publicum scandalum—agitur enim familia religiosa moribus—; *b)* quod Clothildes mansura habeat stipendium hactenus dilatatum—non ad tutandam pro futuro complicitatem eius, sed ob aliam rationem qualemcumque—; et *c)* quod practice impossibile sit ipsi stipendium hucusque debitum obtinere, per recursum ut puta ad tribunalia. His in adiunctis, Clothildes absolvi potest cum occasionem et consuetudinem huiusmodi prima

⁶ Larraga-Lumbreras, *l. c.*, n. 477.

vice confitetur, si serio proponat occasionem, materialiter proximam, facere formaliter remotam—non autem fit remota ideo quod herus emendationem proposuit et per mentem iam se emendavit, quoniam facile quis praesumeret ipsum ad pristinam sollicitationem reversurum—. Si vero aut media quae modo ei proponuntur recusat adhibere, aut quae in praevia confessione adhibere promisit non adhibuit vel his adhibitis emendationem exhibeat nullam, absolvenda non est, serio nisi promittat adhibere media neglecta vel efficaciora prius adhibitis, aut, valedicens stipendio, occasionem physice removeat.

C. VII.— Polyphemus peccavit quidem saepius cum Apollonia famula; at nullam iam in ipsam experitur inclinationem, quod illa senuit, vel pristinam amisit venustatem, etc. Versaturne Polyphemus in occasione proxima?

Sol.— Negative; et ideo poterit a confessario absolvi absque imposito onere de occasione peccati deserenda, quandiu constet de sincero proposito non peccandi cum famula Apollonia. Ita Larraga

VIII. REQUISITA AD PECCATUM MORTALE

Doctrina.

Ad grave peccatum committendum tria sunt necessaria: 293
praeceptum grave 2, plena advertentia et perfectus consensus.

1.º Praeceptum grave dicimus aut re aut apprehensione

¹ EXr r a g a -Lumbr f. r a s, l. c., n. 472.

³ Etsi Auctores passim loquantur de materia gravi, malo loqui de praecepto gravi, nam cum agitur de lege positiva valet legislator obligare sub levi in materia gravi.

—ibi agitur contra conscientiam veram, hic contra erroneam conscientiam.

Gravitas praecepti divini—naturalis aut positivi—constat: *a)* auctoritate, sive Scripturae—dicentis v. gr. aliquid excludere a regno Dei, dignum esse morte vel igne aeterno—, sive Conciliorum, Pontificum, Patrum vel theologorum—quorum consensus moraliter unanimis exstat veritatis indicium, a quibus ideo dissensus temerarius—; *b)* ratione, ad quam profecto mortalia sunt quae tollunt amicitiam vel reverentiam hominis ad Deum—ut odium Dei, blasphemia, periurium—aut vergunt in grave praeiudicium sive humani generis—v. gr. luxuria—sive proprium in bonis corporis—uti mutilatio notabilis, suicidium—sive proximi in bonis tum animae, tum corporis, tum fortunae—v. gr. scandalum, homicidium, furtum.

Gravitas praecepti humani, ecclesiastici vel civilis, constat ex ipsis verbis legis—si dicatur v. gr. iubemus sub interminatione divini iudicii, in virtute sanctae oboedientiae—, ex gravitate poenae, saltem latae sententiae, et ex interpretatione sive authentica legislatoris, sive practica atque communi subditorum—consuetudo cum sit legum interpretis optima—, sive doctrinali et communi doctorum. Ubi doctores non consentiunt caveat confessarius ne, propria innixus ratione, peccatum mortale dicat aliquid, nam iniceret laqueum paenitentibus h

294 2.º Advertentia nominat mentis considerationem seu attentionem; in re autem morali, considerationem seu attentionem ad malitiam moralem actus. Advertit intellectus ma-

1 «Omnis quaestio in qua de mortali peccato quaeritur nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur: quia error quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto; error vero quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale» (S. Thomas, *Quodl.*, 9, a. 15).

litiā actus, non modo cum de actus malitia obtinet certitudinem, sed insuper cum opinatur, suspicatur aut actum esse malum aut adesse in agendo periculum peccandi sive prae actione obligationem attendendi. Porro quantumvis advertentia, prout et attentio, dicat mentis applicationem, ideoque actualis sit omnino oporteat, duplex tamen communiter distinguitur: actualis, videlicet, quae est in ipso actu—seu quae habetur inter agendum, saltem initio actionis—, et virtualis, quae fuit in ponenda causa actus—seu quae hic et nunc non habetur, sed tunc cum quis posuit quod novit actus causam.

Et ad peccatum quidem non requiritur advertentia actualis. Primo, quoniam per plures peccant ex vincibili ignorantia, igitur cum actuali inadvertentia, v. gr. qui ideo non curat scire dies ieiunii ut absque omni scrupulo epuletur, is actu non cogitat de obligatione ieiunandi, et tamen peccat cum ieiunium solvit. Secundo, nam imputantur habituatis peccata in quae prorumpunt ex habitu non retractato etiamsi de illorum malitia, dum in ea prorumpunt, non cogitent. Tertio, quia imputatur sacerdoti malitia sacrilegii, licet, tentationi luxuriae cedens, ad sui status dignitatem non attendat. Denique, nam aliquid potest esse voluntarium in se atque voluntarium in causa: actus ergo malitia potest esse volita, prout praecognita, cum dum ponitur actus tum dum ponitur causa actus.

Virtualis, quam dicunt, advertentia sufficit ad peccatum 295 mortale. Agitur imprimis corollarium horum quae praecedunt, nam si non requiritur advertentia in ipso actu, satis est advertentia in causa actus. Quaestio insuper tota de voluntario versatur indirecto. Porro ei qui voluntarie posuit causam huius praevidens pravos effectus hi sunt effectus voluntarii quoties non habuit ius ponendi causam seu quoties tenebatur eam omittere ad illos effectus impediendos: voluntas pristina—eique praevia advertentia—influit in hos

effectus quandiu non retractatur; effectus consequentes voluntarii dicuntur et peccata, non *a se*, sed *in se*, quatenus procedunt a causa non retractata eique iunguntur, cum ea constituentes ens morale unicum, quem ad modum se habet ad interiorem actus exterior—unde peccatum eius qui, in exemplo posito, ieiunium solvit, inchoatur tempore quo advertens ad periculum neglexit debitam ieiuniorum obtinere notitiam, et consummatur tempore quo transgreditur ieiunii legem (125).

296 Ad peccatum insuper formale, prout non requiritur ut peccans expresse cogitet de offensa Dei, sic nec requiritur ut discernat peccati qualitatem—v. gr. num sit contra caritatem, num contra iustitiam—, aut quantitatem—v. gr. num sit grave aut leve—; sed ad peccatum formale grave necessaria est equidem advertentia ad gravem malitiam actus; sufficit atamen si homo intellegat actum illum impossibilem cum fine ultimo, aut valde turpem, aut rigurose prohibitum, aut notabiliter turbare morum ordinem. Denique ad peccatum formale grave petimus malitiae gravis plenam advertentiam, quam quis nempe habet mente expedita; cum non sufficiat semiplena, quam habet semisomnis, semiebrius, semidistractus \

297 3.^o Consensus est acceptatio sive complacentia volun-

1 «Imperfectae advertentiae coniecturalia signa a theologis traduntur sequentia: *a*) si re alia occupatus et distractus obiter ac tenuiter apprehenderis rem esse malam; *b*) si semidormiens aut semidelirus nondum perfecte fueris tui compos; *c*) si immemor post factum vix recorderis quid egeris; *d*) si ubi melius consideras, iudices, secundum habitualem tuam dispositionem, te non fuisse facturum, si ita apprehendisses; *e*) si distractione aut passione ita abreptus fueris ut cognitione solius utilitatis, damni, commoditatis vel incommoditatis ex opere percipiendae, non malitiae, occupatus fueris; *f*) vel si vehementissima passione (irae, timoris, tristitiae), apprehensione, nervorum agitatione vel mania, aut statu pathologico laborasti vel turbatus fuisti, ita ut fere nesciveris quid ageres» (Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 540, ed. 3).

tatis in eo quod proponitur ab intellectu. Est perfectus, quando sequitur plenam advertentiam ; imperfectus vero quando sequitur advertentiam semiplenam, aut nominat, potius quam acceptationem, tardam repulsionem seu tepidam resistantiam h

Casus primus.

Rosa honesto genere nata at innumeris deliciis educata 298 atque libere, uti aiunt, instituta, operum romanensium lectione valde delectatur, ludicris omnis generis spectaculis interesse solet, nec veretur obscoenas imagines, si quae obviam ei occurrant, impudenti oculo aspicere, atque colloquia de rebus sexualibus, sub comitatis vel animi culturae praetextu, cum aliis puellis, immo et cum iuvenibus quandoque miscere.

At vehementer obiurgata a confessario sese excusat asserens se ad rei gravitatem, licet ipsam non ignoraret, dum ageret, nihilominus, non animadvertisse.

Quale sit de Rosae actionibus iudicium ferendum?

Solutio

Hae actiones in casu praesumuntur graviter peccaminosae : vehementer enim Rosa obiurgatur a confessario ; ipsa 299

› «Imperfecti consensus coniecturalia signa a theologis traduntur sequentia: a) si quis, plene advertens ad tentationem, eam statim repellit; b) si plenius advertens statim angitur vel tristatur; c) si, statim ubi angitur, adhuc reperit se ita habitualiter constitutum, ut malit mori quam peccare mortaliter; d) si facile potuerit peccatum exequi et non sit executus; e) si vir timoratus (vel ille qui soleat ita esse affectus ut malit mori quam expresse mortaliter peccare) dubitet num consenserit; f) si quis valde timide et suspense processisse se meminerit; g) si semisomnis fuerit, non plene sui compos, iudicetque se id non fuisse facturum si plene vigilasset; h) si dubitet an sui compos, vigilans, non ebrius fuerit» (Merkelbach, l. c., n. 541).

quoque fatetur se rei gravitatis non ignaram. Addens autem ad hanc gravitatem non animadvertisse dum ageret, defectum actualis advertentiae profert veluti excusationem a formali multiplici peccato gravi.

Prima quaestio quae animum pulsat confessarii est: num debeat paenitenti praebere fidem (109). Agitur enim in casu non de actionibus vetitis positivo iure, sed de actionibus prohibitis lege naturali, quarum turpitudine et malitia, utpote actui intrinseca, facile menti occurret cogitanti de ponendo physico ipso actu. De reliquo, cognitio, quam habebat habitualem, non potuit manere otiosa longo illo spatio temporis, adeo multiplicatis occasionibus; actiones illae excitaverunt certo prava phantasmata, excitaverunt sensualitatem, excitaverunt tentationes; quomodo Rosa, quam non latebat periculum, potest asserere se neque ad periculum attendisse? Id forsitan posset contingere sub influxu magnae passionis aut validae distractionis; verum passio cito transit et valida distractio nequit esse continua; si conscientia non monuit antecedenter, monuit consequenter; sed ex tunc memoria turpitudinis facilius in occasione sequenti. Unum quod Rosae favere dixeris est libera institutio quam accepit; inde forsitan non advertit ad Dei offensam, ad gratiae sanctificantis amissionem; sed non inde deficiet advertentia ad turpitudinem vel malitiam actus, saltem ad periculum.

300 Dato attamen, nec concessio, defectu actualis advertentiae, manet dilucidanda quaestio altera: num insuper deficeret advertentia, ut dicunt, virtualis, sufficiens ad mortale peccatum? Loquens de habitibus, haec opportune Noldin: «Si quis contraxit consuetudinem e. g. iurandi, singuli actus ex hac consuetudine commissi sunt in peccatum imputabiles, si iurans ad actum eiusque malitiam advertit; quodsi inadvertenter iurat, distinguendum est: quandiu consuetudo voluntaria est, actus in peccatum imputantur; si consuetudo involuntaria est, actus non imputantur in peccatum... Con-

suetudo autem voluntaria est, tum si iurans ad consuetudinem per repetitos actus contrahendam advertens nihilominus se non emendat, tum si ad consuetudinem iam contractam advertens nullo remedio eam deponere conatur» h In casu mores Rosae partim acceptae educationi et partim repetitis personalibus actibus vindicantur; porro in benigniori quoque sententia Rosa non potuit non advertere ad consuetudinem iam contractam—de facto sponte hanc protulit confessario aut huic ansam dedit qui penitus rem investigaret—, nec constat fecisse aliquid ad illam retractandam. Ceteroquin, haec est omnium moralistarum regula: si paenitens sit laxae conscientiae vitaeque liberioris, praesumptio stat pro sufficienti advertentia habita.

Illae igitur Rosae actiones non excusantur, uti plurimum, a mortali peccato: quae fuerunt obiective graves, non habent prolata inadvertentiam causam excusantem a malitia formali.

Alii casus.

C. II.— Num praeceptum servandi festa obliget, ex sese, 301 sub mortali?

Sol.— Affirmative; fuit enim damnata ab Innoc. XI propositio: «Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus» (Denz., 1202).

C. III.— Num omittere infusionem guttularum aquae in vinum consecrandum sit grave peccatum gravisque materia?

Sol.— Affirmative, ob Ecclesiae praeceptum. «Notandum hoc praeceptum infundendi modicam aquam in calice ante consecrationem ab omnibus tamquam praeceptum grave semper retentum fuisse; ita ut in nullo casu possit sacerdos vinum licite consecrare sine admixtione aquae: immo, etsi obli-

tus fuerit sacerdos infundere vino aquam, debeat ante consecrationem istum defectum supplere, non autem postea» l.

302 C. IV.— Regularium ecclesiam visitans voluit Agnes inspicere claustrum proximum, quod arte mirabili sit constructum. Cum tamen plane noverit excommunicationem latam contra clausuram violantes (can. 2342), vix ingressa recessit, putans se mortalem culpam evadere propter transgressionis brevitatem.

Sol.— Lex clausurae papalis, quae agitur (can. 597 ss.) servanda est sub gravi, ut patet ex excommunicatione ipsi adnexa. Sententia probabilior atque communior non admittit in violationem clausurae parvitatem materiae, modo tota persona veniat foras vel intus ingrediatur; quapropter momentaneus etiam ingressus per unum vel duos palmos poena plectitur excommunicationis, et propterea sub gravi prohibetur. Subjective tamen, si putabat legem clausurae admittere materiae parvitatem, et ideo intra claustrum sic ingreditur ut recedat statim, Agnes non peccavit mortaliter.

303 C. V.— Quaenam sit materia gravis in voto?

Sol.— In votis privatis, nisi alia sit voventis intentio, «materia gravis, inquit Merkelbach, est quae ad cultum Dei vel utilitatem proximi aut ipsius voventis sive ex se sive ex adiunctis notabiliter conducit, aut a lege naturali, divina, ecclesiastica sub gravi praecipitur solet, v. g. ieiunium, missa, communio, confessio». Et subiungit: «Ista est regula generalis per saecula tradita; nunc autem, post Noldin, Th. M. II, n. 215, aliqui putant regulam non esse stricte applicandam, quando non actio singularis sed series actionum vel habitualis ratio agendi promittitur per modum unius: tunc scii, materia omissa non absolute sed relative ad totam rem promissam est consideranda, et ita actio in se notabilis aestimari

¹ Fanfani, *Th. Mor.*, IV, 136.

debet pars modica ex serie promissa. Unde qui per modum unius vovet pro toto mense quotidianam missae auditionem vel assistentiam devotioni mariali, non existimandus est reus peccati mortalis si illam omittat una vel altera vice (dummodo, ait, minus sit quarta parte!), cum promissionem substantialiter implevit. Ita sane si vovens sic intenderit solum se obligare sub levi ad talem partem; sed talis intentio praesumi non potest, quia non ex natura rei nec ex consuetudine ista existimatio constat» x.

C. VI.— Camillus putat peccata mortalia practice aut 304 nulla esse aut admodum rara, quae nempe committerentur ex certa malitia vel contra Spiritum Sanctum; non vero quae committuntur, uti plurimum accidit, ex impetu passionis.

Sol.— Ad haec Prümmer: «Exsistentia peccati mortalis manifeste eruitur e Scriptura Sacra. Nam Christus dicit de quibusdam peccatis contra proximum: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio...; qui autem dixerit fatue (fratri suo), reus erit gehennae ignis.* S. Paulus affirmat: *Stipendia peccati mors.* Insuper: *Si secundum, carnem vixeritis, moriemini.* Exsistunt igitur peccata mortalia. Neque sola peccata ex certa malitia aut contra Spiritum Sanctum patrata—ut voluerunt quidam theologi—sunt peccata mortalia, sed etiam peccata facta ex gravi passione deordinata, ut e. g. adulterium, fornicatio, etc.» -.

C. VII.— Peccatne graviter qui cognoscit quidem se ma- 305 lum agere, at nescit num grave sit aut leve?

Sol.— Si advertat periculum peccati gravis (saltem in confuso) aut de eo dubitet, affirmative, quoniam se voluntarie exponit periculo graviter peccandi. Si nihil cogitet de gravitate aut levitate, negative, quoniam malitia gravis nullo modo advertitur, igitur nec admittitur.

* Merkelbach, *l. c.*, II, 723.

3 Prümmer, *Th. Mor.*, I, 363. ed. 1931.

IX. QUOMODO PECCATUM VENIALE FIAT
MORTALE

Doctrina.

306 Veniale peccatum, quamvis non fiat mortale ob solam eius multiplicationem, «non enim, prout D. Thomas loquitur, omnia peccata venialia de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale» \ fit attamen mortale: *a)* ob erroneam conscientiam (173 ss.); *b)* ob finem operantis graviter malum (147 ss.); *c)* ob affectum nimium peccantis, qui actu scilicet paratus est mortaliter peccare potius quam levi peccato valedicere, v. gr. dominicalem Missam potius omittere quam praestitutum furtulum; *d)* ob contemptum formalem et perfectum sive praecipientis sive praecepti; *e)* ob grave nocumentum praevisum, quamvis non intentum, v. gr. si quis praevidet ex nimia loquacitate securas rixas, ex legendi curiositate imminere castitati periculum, ex ornatu superfluo alienam excitandam esse concupiscentiam pravam; *f)* ob multiplicatam materiam coalescentem, de qua specialis sermo, qui communiter fit relate ad furtula—quomodo coalescant in peccatum grave—, atque sine difficultate aliis quoque materiis applicatur.

Furtula dicuntur minuta furta, quae sunt scilicet materiae levis, eius nempe quae nec absolute nec relative gravis censetur.

307 Porro furtula coalescunt seu pertingunt ad peccatum grave, semper quidem propter intentionem perveniendi ad materiam gravem, interdum quoque praeter intentionem huiusmodi.

Propter intentionem attingendi materiam absolute vel

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, S8. 4.

relative gravem, toties quis peccat graviter quoties furatur levem materiam, quoniam pravus animus fertur in furtum sub mortali prohibitum. Non quasi tot committat peccata gravia quot furtula commisit—singula enim furtula sunt partes integrantes unum furtum intentum—, sed quod furtulum primum, et secundum, et tertium, etc., est peccatum mortale propter intentionem graviter malam, ideoque quodlibet, quamvis nullum aliud haberet praevium, nullumve aliud consequens

Praeter intentionem vero tripliciter: ob damnificationem, 308
conspirationem et multiplicationem—seu frequentem repetitionem.

Ob damnificationem : qui furatur rem parvi momenti praevidens tamen dominum inde passurum esse grave damnum, is peccat graviter contra iustitiam.

Ob conspiracyem, dum communi videlicet consilio atque consensu plures, quantumvis successive, eidem domino materiam levem singuli, simul tamen materiam, absolute aut relative, gravem furantur, omnes mortalem incurrunt iniustitiam.

Ob multiplicationem, denique, seu frequentem furtulorum repetitionem, dummodo: *a*) inter singula furtula non intersit notabile intervallum—id est duorum mensium, ubi singulorum materia prope accedat ad gravem; quindenae, ubi singulorum materia sit revera minima; *b*) singula fur-

1 Nonnulli sic loquuntur ac si tot essent peccata gravia quot fuerunt furtula. Melius Billuart (*Summa S. Thomae*, tr. *De iure*, diss. 11, a. 4): «Qui ex intentione ditescendi seu notabilem quantitatem surripiendi, saepe quid furatur, singulis furtis peccat graviter ratione mortalis intentionis, cuius quodlibet furtum est exsecutio continuata... Non tamen tot sunt numero distincta peccata mortalia quot sunt minuta furta, sed unum continuatum; quia in una et eadem intentione uniuntur .. Nisi forte fuerit revocata intentio; tunc enim toties peccaretur distincto peccato mortali, quoties revocata intentio resumeretur.» Videsis meam notulam *Toties quoties in furtulorum coalescentia*, in *Angelicum*. 23 (1946). pp. 165 ss.

tula non sint revocata vel restituta 1; *et c*) materia vel summa totalis furtulorum sit, absolute vel relative, gravis—censetur autem in furtulis sucessivis materia gravis, si quidem parum temporis intercedat inter diversa furtula (v. gr. una vel altera dies), eadem ac in furto simul patrato; si vero intercedat plus temporis, quantitas dimidio maior pro furtulis eidem domino, et quantitas duplo maior pro furtulis a dominis diversis.

Casus primus.

309 Haec inter alia Symphorosa confessario pandit: Ex quo famula ingressa fui cuiusdam dominae proposui in corde meo nummos quotquot possem in mercium quotidiana emptione subripere; hoc quidem pacto iam collegeram 10 doliare cum, post quattuor menses, domina rem novit et a famulatu me deiecit. Novum exinde cum adepta fuerim, a furtulis constitui penitus abstinere; occasio tamen offerebatur menstrua, cum domina rus ibat et capsam pecuniariam absque custodia relinquebat; igitur toties quoties 5 doliare abstuli, licet continuo dolens de praeterito et definiens cavere de futuro; hunc morem habui per octo solidos menses.

Quoties Symphorosa peccavit graviter?

1 Disputatur inter Auctores num. praecisa intentione perveniendi ad materiam gravem, furtulum quo completur gravis materia sit grave pronuntiandum ratione acceptionis, aut ratione tantum detentionis. In primo casu erit peccatum grave etsi praecesserit intentio restituendi furtula anteacta nisi de facto restitutio praecesserit. In altero, non erit peccatum grave si propositum praecesserit restituendi anteacta furtula. quamvis, ob impossibilitatem, nondum fuerit facta restitutio (cf. *Salman-ticenses Mon.*, tr. 13, c. 5, nn. 20-22).

Si vim faciamus verbis, Priimmer videtur esse pro altera sententia, cum ita loquitur: «singula furtula non sint revocata aut restituta» (*Th. Mor.*, II, 82, ed. 1928). Merkelbach, contra, pro prima, dum dicit: «singula furtula non fuerint efficaciter revocata seu restituta» (*Th. Mor.*, n, 407. ed. 3).

Practice parum interest an sit peccatum grave ratione acceptionis, dummodo admittatur peccatum grave ratione detentionis.

Solutio

Oportet distinguamus furtula commissa in primo ab iis 310
quae in altero famulatu.

In primo Symphorosa egit ex intentione praevia nummos
quotquot posset arripiendi. Supponimus ergo famulam ap-
prehendisse possibilitatem pertingendi ad materiam totalem
gravem. Qua quidem in hypothese:

1.^o Certum est apud omnes Symphorosam peccasse gra-
viter a primo furtulo; non secus ac ille qui furaretur mate-
riam levem, volens efficaciter furari gravem, si posset.

2.^o Quantumvis nonnulli Auctores sic loquantur ac si
Symphorosa tot commisisset peccata gravia quot fecit fur-
tula, dicendum est in primo famulatu ipsam semel graviter
deliquisse illis omnibus furtulis; nisi fingas revocatam at-
que reassumptam intentionem—cuius nullum est signum—,
quo quidem in casu tot erunt peccata gravia furti quot fue-
runt numero intentiones gravem materiam auferendi.

In altero famulatu furtula non coadunantur intentione 311
sed multiplicatione sive repetitione 1; ideo:

P. Certum est apud omnes singula furtula quorum sum-
ma non pertingit ad materiam gravem esse peccata venialia,
furtulum vero quo ad materiam gravem pervenitur esse pec-
catum grave—nisi fur dum indulget huic furtulo non adver-

1 Nullum adest indicium omnia aut quaedam furtula restituta fuis-
se. Nec sufficiens indicium ut putemus omnia aut singula fuisse efficaci-
ter revocata, quoniam efficax dolor de praeterito importat restitutionis
propositum; hoc autem propositum intellegi non potest cum immediata
consumptione pecuniae ablatae—unde fieret impossibilis restitutio—,
nam agitur de furtulis per octo solidos menses; et ideo et si non pecca-
verit graviter accipiens, peccavit saltem graviter retinens acceptum. Id
de quo post furtula Symphorosa dolet continuo non est ipsum furtum,
verum occasio novae electionis, cui se exponit si domina, reversa e rure,
tangat pecuniae deficientiam.

tat ad unionem eius cum praecedentibus; ad unionem, inquam, in damnificatione domini aut in retentione rei alienae; advertens etenim nec desinens sive a furto sive a possessione, vult damnum grave proximi aut detinet invito domino rem alienam notabilem.

2. Furtula quae sequuntur post completam materiam gravem habentur ab aliis veluti circumstantiae (leviter aut notabiliter aggravantes) mortalis peccati praecedentis \ quod ideo extenditur ad ulteriorem summam; ab aliis vero dicitur inchoatio novae seriei, in qua furtula non pertinentia ad summam notabilem tot erunt peccata venialia, furtulum autem hanc summam complens erit grave peccatum.

In altero propterea famulatu Symphorosa peccavit mortaliter saltem semel; iuxta quosdam, bis.

A lii casus.

312 C. II.— Se parochus accusat confessario quod plures, partes leves in diei Officio praetermiserit; immo quod saepe detraxerit atque leviter calumniatus sit vicario suo colloquens cum episcopo. Coalescuntne in materiam gravem illae omissiones atque huiusmodi sive detractiones sive calumniae?

Sol.— Affirmative. Illae quidem, si tot scilicet a pluribus horis partes, quantumvis leves, omittantur quae simul sumptae aequivaleant uni parvae horae; et si quidem ab initio multiplex fuerit haec omissio intenta, ipsa constituet peccatum grave unicum; si non fuerit ab initio intenta, tot erunt pec-

1 In hoc sensu puto esse interpretaanda quae dicit Prümmer (*l. c. j.*: «Qui vero, postquam gravem materiam furtulis abstulerit, pergat in furando. toties mortaliter peccat quoties attendit ad materiam iam surreptam et renovat intentionem retinendi illam cum aliis... In praxi sufficit si confessarius cognoscat summam furtulis sublatam et forsitan tempus, quo durante furtula facta sunt.» At minus recte Merkelbach (*l. c.*): «Furta levia, materiam gravem iam completam subsequencia, non constituunt novum peccatum mortale..., nisi considerentur ut unum quid cum materia gravi praecedenti, quia tunc includunt huius approbationem.»

cata venialia quot omissiones leves, postrema excepta quae mortalis est, quippe qua compleatur gravis materia. Leves quoque detractioes et calumniae, quando congerens defectus leves, veros et a fortiori falsos, quis graviter nocet eum de quo detraxit vel cui calumniam intulit; et si quidem grave nocumentum fuit ab initio intentum, etc.

C. III.— Coalescuntne servilia opera intra eundem diem, 313 festum vel dominicum, exercita; plures pariter comestiones leves in uno die vel abstinentiae vel ieiunii?

Sol.— Servilia, affirmative, si ab eadem persona exercentur; non tamen peccat graviter qui mandat sex famulis ut laborent per horam, nisi scandalum adsit. Ita Merkelbach L

Quoad ieiunium, etiam affirmative, nam fuit damnata ab Alex. VII propositio: «In die ieiunii qui saepius modicum comedit, etiamsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium» (Denz., 1129). Quoad abstinentiam vero negative. Est autem ratio, quoniam semel fracto ieiunio, hoc amplius neque servari neque frangi potest; at praecipuum abstinentiae semel laesum potest iterum atque iterum violari, et ideo tot sunt peccata gravia 2 aut levia quot fuerint comestiones, moraliter distinctae, cibi vetiti in quantitate notabili aut dumtaxat modica.

C. IV.— Utrum plures materiae leves, eodem voto promissae, 314 coalescere possint in materiam gravem.

Sol.— Respondet Fanfani: «Cum distinctione: a) si materiae illae leves explicite promittantur ut res singulares

1 Merkelbach, *l. c.*, II, G8S.

3 «De facto multi violatores putant se semel peccasse, etiamsi pluries in die carnes manducaverint. Itaque confessarius saepe non tenetur interrogare paenitentem, qui se accusat de transgressione legis abstinentiae, quoties quolibet die carnes manducaverit, sed sufficit scire quot diebus abstinentiam non servaverit» (Prümmer, *l. c.*, n. 063).

—e. g. dare quotidie viginti centesimos in eleemosynam; recitare quotidie 3 Ave Maria, etc.—, negative, idest non coalescunt: unaquaeque enim res singularis est obiectum completum voti: atque ideo frangendo pluries votum, multiplicantur numerice peccata, sed non uniuntur materiae, cum una sit ab altera independens; *b*) si vero plures materiae leves ut aliquid unum promittuntur et solum maioris facilitatis causa in plures minutas partes dividuntur—e. g. dare centum libellas in eleemosynam, distribuendo quotidie unam libellam—, tunc materiae leves coalescunt seu uniuntur et crescere possunt usque ad gravem materiam: obiectum enim voti in casu unum est (centum libellae); sufficit igitur ut pars notabilis huius obiecti omittatur, quomodocumque omittatur, ut gravis transgressio voti resultet; *c*) quod si nulla explicite facta fuerit distinctio a vovente, tunc: in votis personalibus leves materiae ut in pluribus non censentur coalescere in unum; in votis realibus coalescere censentur. Ratio distinctionis ex eo deducitur quod obligatio votorum personalium (e. g. recitare quotidie quinque Pater et Ave) censetur, ut in pluribus, affixa diei, ita quod transacto die obligatio cesset; dum votorum realium obligatio—e. g. dare centum libellas in eleemosynam distributam in partes aequales per mensem—censetur independens a circumstantia temporis, ita quod si uno die non fuerit satisfactum, satisfieri debeat die sequenti» ^λ

^λ Fanfani, *Th. Mor.*, III, 55.

DE LEGIBUS

I. NATURALIS LEGIS IGNORANTIA

Doctrina.

Lex naturalis plura praecepta continet, quorum quaedam 315 sunt nota omnibus, quaedam sunt nota maiori hominum parti, et quaedam non sunt nota nisi sapientibus.

Omnibus atque perpetuo nota sunt prima principia communissima: Bonum est faciendum, Malum est vitandum—nemo est unquam hominum qui bonum fugiendum, malumve prosequendum esse putet. Omnibus quoque nota sunt in sua generalitate principia tria, triplici hominis inclinationi naturali consona: Vita est servanda—quapropter suicidium evitandum—, Vagus concubitus fugiendus est—ideoque matrimonium ineundum—, Veritas dicenda est societasque fovenda—mendacem hominem et insociabilem declinamus naturae instinctu—. Sed haec principia ipsamet possunt a quibusdam ignorari quoad illorum ad casum extensionem, propter peculiare casus circumstantias sive rerum adiuncta, ita ut quis existimet mortem multo meliorem vita misera, proli sufficienter provideri extra coniugium, quandam veritatem vel societatem esse sibi molestam.

316 Praeter principia, sunt et naturali legi conclusiones, quae necessario nexu illis iunguntur atque possunt ex illis erui absque erroris formidine. Quaedam veniunt conclusiones proximae, quae, coniunctissimae principiis per se notis, facile vel ipsis popularibus innotescunt. Sed cum ipsarum notitia petat discursum et lumen hebetetur, quo clarescunt principia, propter vitiosos habitus, pravam institutionem, passiones vehementes, hae conclusiones proximae non innotescunt omnibus: D. Thomas nixus testimonio sive Iulii Caesaris sive Apostoli dixit: «Apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam»¹. Quapropter, ut hae ipsaemet conclusiones ab omnibus expedite nulloque admixto errore cognoscerentur², divinitus fuerunt revelatae in praeceptis Decalogi.

Haec autem praecepta data populo, de iis ergo quorum ratio statim populo innotescit, illa tantum complectitur in quibus maxime elucet ratio debiti; sunt ergo praecepta iustitiae, ad praecipuos quidem benefactores, Deum ac parentes, indeque ad proximum communiter, cuius proscribunt iniurias manifestas, nempe homicidium, uxoris adulterium, furtum rerum exteriorum, depositionem falsam coram iudice et appetitum de uxore atque fortuna aliena. Sed quoniam enervatur principiorum robur cum ad particularia seu concreta descendimus, non est mirum si pluribus licitum videatur furtum pro eleemosyna facienda, periurium pro salvando innocente, occisio moribundi ne diutius dolores aegritudinis patiatur.

317 Cetera, quoniam non statim populo perspicua, non prohibentur neque praeciuntur in Decalogo, in quo nihil de minoribus iniuriis neque de pluribus partibus iustitiae annexis, neque de officiis fortitudinis, temperantiae, pruden-

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 94. 6; cf. a. 3.

² Id., *ib.*, I. 1, 1.

tiae *. Potest igitur ignorari a quibusdam, etiam per longum tempus, malitia pollutionis, fornicationis, pravatum cogitationum immo et desideriorum inefficacium—bene quamvis perspectam habeant exteriorum actuum malitiam.

Sunt denique plurimae conclusiones notae solis sapientibus. Licet etenim necessario profluant a principiis, praesupponunt expeditum atque diuturnum rationis exercitium seu prolixum immunemque discursum. Porro si theologi discreparunt et discrepant ab invicem de quorundam actuum moralitate, bonitate scilicet aut malitia, nec mirari quis debet plurimum actuum malitiam latere indoctos.

Casus primus.

Confessionem audiens cuiusdam militis qui, post pigrum 318
immane bellum, sanus reversus est in patrios lares magna profecto admiratione Marcianus est suffultus. Interrogatus enim num commercium cum meretricibus umquam foverit, miles candide dixit: Saepius quidem, at perpetuo id pretii persolvi quod ipsis communiter dabatur. Requisitus autem de modo quo se gessit erga hostes, miles respondit: In eos explosi quotquot plumbeas glandes explodere licebat, illa videlicet excepta quam mihi, si in extremo periculo versarer, reservabam. Rogatus quid postrema hac clausula sibi vellet, expeditam dedit responsionem: Hoc est apud for-

Solutio

319 Dixerat D. Thomas: «Manifestissime ratio debiti, quae requiritur ad praeceptum, apparet in iustitia, quae est ad alterum : quia in his quae spectant ad seipsum videtur primo aspectu quod homo sit sui dominus, et quod liceat ei facere quodlibet; sed in his quae sunt ad alterum, manifeste apparet quod homo est alteri obligatus ad reddendum ei quod debet»¹.

Ideo inter Decalogi praecepta prohibetur quidem adulterium, «per quod aliquis usurpat sibi rem alienam, abutendo scilicet uxore proximi»². Non est ergo mirandum si sint homines ita rustici atque tam parum in re morali instructi qui putent licitam sibi fornicationem cum femina libera atque libere copiam offerente proprii corporis; quapropter illos vacare culpa qui accedentes ad meretrices pretium solvant ipsis dari solitum.

320 Sed nec est mirandum quod milites nonnulli ex familiaritate cum sodalibus qui mortem extollunt captivitate gloriosiore, putent suicidium licitum: agitur enim vita propria, eaque inter hostes ignominiose protrahenda, honorifice, contra, profusa. Iam D. Thomas dixerat: «Quod aliquis sibi inferat mortem, ut vitet mala poenalia, habet quidem quandam speciem fortitudinis»; adiecit attamen: «Non tamen est vera fortitudo, sed magis quaedam mollities animi, non valentis mala poenalia sustinere»³. Sed plures specie decipiuntur quam veritatem assequantur. Ipsi quoque qui Christianam educationem habuerunt non perpetuo valent praestigias cavere atque captiones dialecticas, ideoque potest de

¹ S. Thomas, *l. c.*, II-II, 122, 1.

² Id., *ib.*, 170, 1.

³ Id., *ib.*, G4, 5, 5m.

eorum cordibus naturalis lex iam agnita deleri ob malas persuasiones quibus continuo subsunt b

Sed utrum miles de quo agitur tanta laboraverit ignorantia, res minus obvia, ulteriorem inquisitionem postulans ex parte Marciani confessarii.

Alii casus.

C. II.— Liborius, confessarius, nullam admittit penes paenitentem ignorantiam invicibilem legis naturalis, illis nixus S. Augustini verbis, quae probavit Cone. Tridentinum: «Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis» (Denz., 804).

Sol.— Concilium Tridentinum, prout iam Salmanticenses replicarunt², loquitur de praeceptorum observantia quando haec ab homine cognoscuntur; quod profecto non obstat quin ratione ignorantiae nequeant ab iis impleri quibus sunt ignota.

C. III.— Lucretia, mater familias, nonnumquam recurrit ad mendacia quae pro pace domestica putat necessaria et propterea licita. Marollus, confessarius, miratur valde mendacii, quantumvis officiosi, ingenita malitia possit a femina Christiana invincibiliter ignorari.

Sol.— Non est cur Marollus vix credibilem putet hanc matris familias ignorantiam; quia non agitur, imprimis, de praeceptis legis naturae notis statim omnibus in sua generalitate; agitur insuper de praeceptis, etsi universaliter notis, in his adiunctis; Lucretia, denique, cum mendacium profert pro servanda pace domestica, versatur probabiliter in sic dicto casu perplexo in quo putat se peccare mendacium

¹ Id., *ib.*, I-II, 94, 6.

² Salmanticenses *Mor.*, tr. 20, c. 14, n. 35.

proferens et mendacium omittens, quo profecto in casu licite omnino eligit quod sibi tunc videtur minus malum.

- 323 C. IV.— Cum in acatholica regione vigeat lex qua medicis et infirmariis permittitur vitam aegrotorum abbreviare qui insanabiles sunt, morti properant dolorissimae et medicinam letalem conscii postulant, quaestio a nonnullis ponitur num praxis huius malitia possit invincibiliter ignorari.

Sol.— Affirmative, nec modo ob impunitatem regionali lege sancitam, sed ob motiva quoque quae induxerunt legislatorem ad impunitatem concedendam: agitur enim de insanabilibus iisque properantibus morti dolorosissimae, quapropter abbreviatio vitae apparet uti misericordiae opus; et agitur de iis qui medicinam letalem conscii petunt, quo et videntur salva tectaue iustitiae iura. Bona attamen fides difficile penes catholicos infirmarios et praecipue medicos admittenda, quippe qui cognoscere tenentur Ecclesiae damnationem non semel nostris hisce temporibus iteratam | de intrinseca malitia occisionis debilium, et propterea de mortis acceleratione quoad aegrotos.

- 324 C. V.— In quadam paroecia parochus eiusque cooperatores praxim diversam tenent in confessionibus excipiendis: dum hic etenim omnes prorsus mulieres coniugatas de matrimonii usu aperte interrogat, ille ex professo abstinet ab interrogandis mulieribus pauperrimis et multa prole oneratis quippe quae praesumi possunt onanismi malitiae prorsus ignarae.

Sol.— Carpendus est imprimis cooperatores, quod aperte omnes prorsus feminas coniugatas de usu matrimonii interrogat: debet enim procedere interrogationibus plus minusve generalibus, sufficientibus tamen ut paenitentes, si rei sint

| Cf. Decretum S. Officii (AAS., 32 [1940], p. 553) et enc. *Mystici Corporis* (AAS., 35 [1943], p. 239).

onanismi, rem intellegant de qua agitur; v. gr. utrum in matrimonio recte se habeant, in eius usu opus naturae impediant; sed hae ipsae quaestiones non omnibus coniugatis ponendae sunt, verum iis tantum quos fundate suspicatur confessarius matrimonio abuti nec de abusu tamen se accusant.

Sed carpendus est quoque parochus. Ad dubium etenim : 325
 «Quando adest fundata suspicio paenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario liceat a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque Sacramenta deserturos esse? Annon potius teneatur confessarius prudenter ac discrete interrogare?» S. Paenitentiarum iam die 10 martii anni 1886 respondit: «Regulariter negative ad primam partem ; affirmative ad secundam» x. Ad rem Genicot : «Errat (confessarius) dum passim cum omnibus altum silentium servat, quasi supponere possit omnes in bona fide versari. Quin etiam huiusmodi silentium confessarii universe servatum cum iis qui aliqua indicia onanismi dedere, redundaret contra bonum commune, praesertim in pagis aliisque locis exiguis. Vix enim fieri potest ut hoc silentium confessarii non innotescat plerisque et (prout vulgo rudes silentium pro consensu habere solent) explicetur quasi sacerdos ille onanismi vitium parvi faceret, neque ut impedimentum recipiendi sacramenta intueretur» 2. Sed et ipse Pius XI : «Sacerdotes qui confessionibus audiendis dant operam... admonemus, ne circa gravissimam hanc Dei legem fideles sibi commissos errare sinant..., neve in iis ullo modo conniveant» (Denz., 2240).

« Batzill, *Decisiones S. Sedis de usu et abusu matrimonii*, p. 25, ed. 1937.

a Genicot, *Casus Conse.*, 1129, ed. 1928.

II. LEX HUMANA QUOAD ACTUS INTERNOS

Doctrina.

326 Actus interni sunt qui a potentiis procedunt interioribus, ab intellectu utputa et voluntate. Dum actus externi, membrorum vel potentiaram externarum, valent secundum se percipi sensibus, et ideo sunt occulti per accidens—dum fiunt scilicet absque homine teste—, actus interni, cum ex propria natura testem excludant hominem, per se occulti sunt atque dicuntur.

Actus interni distinguuntur communiter in pure et mixte internos. Est actus pure internus qui cum externo nullatenus coniungitur, v. gr. meditatio, prava desideria. Est autem mixte internus, qui iungitur externo.

Actus internus valet externo iungi essentialiter seu necessario atque accidentaliter sive concomitanter. Necessario iungitur cum externo, huic dum tribuit ut sit actus humanus—actus enim humanus, cum procedat a voluntate et prae-supponat finis cognitionem, non salvatur absque actu voluntatis et intellectus—; item dum ei tribuit ut sit talis actus specificus seu polleat efficacia ad quam fuit institutus—sic baptismi administratio intentionem exigit baptizandi, ne maneat mera ablutio, quantumvis voluntaria—. Iungitur, e contra, accidentaliter quando non requiritur ad esse humanum aut specificum externi actus, quem ideo comitatur ex operantis voluntate superaddita—sic rosarii marialis recitatio, licet petat recitationem voluntariam, ut sit humana, et mysteriorum quandam meditationem, ut sit rosarii, non petit ex sese intentionem satisfaciendi pro peccatis, quapropter haec intentio recitationi accidit ob finem operantis.

Nulla est apud auctores disputatio de legis humanae po- 327
testate in actus mixte internos qui necessario externis copu-
lantur ut hi veniant humani. Humana etenim lex est huma-
norum actuum directiva; a quibus actus externus exsularet
nisi interno coniunctus. Praecipiens ergo homini ut quid fa-
ciat, praecipit ut id velit facere; prohibens ne quid commit-
tat. et voluntatem prohibet impossibilem cum omissione.

Actus mixte internus qui necessarius sit ad esse speci-
ficum externi potest, omnium sententia, saltem lege ecclesias-
tica praecipit et vetari, quantumcumque interior affectus non
cadat sub coercitiva legis efficacia nisi exterius prodeat; in
casu actus praecipitur vel prohibetur qua talis actus. Sic
Ecclesia praecipiens iuramentum exigit intentionem qua in-
vocetur divinum testimonium, et iubens baptismi collationem
petit intentionem faciendi quod ipsa facit.

Actus mixte internus accidentaliter coniunctus cum exter-
no unam fortunam sequitur cum actu pure interno: ille
etenim, quia innecessarius est, non praecipitur aut vetatur
lege qua exterior praescribitur aut proscribitur; attingendus
foret secundum se, ut actus pure internus.

Et omnes quidem tenent civilem legem imparem quae
pure internos actus iubeat vel prohibeat.

Non omnes attamen hanc tribuunt impotentiam legi ec- 328
clesiasticae.

Loquimur ergo de potestate Ecclesiae legifera, non domi-
nativa; de potestate iurisdictionis, non magisterii; de po-
testate iurisdictionis in foro externo, non in foro conscien-
tiae; de potestate, uno verbo, Ecclesiae propria, non de illa
quam obtinet vicariam b

l «Agitur autem de potestate *humana*, quae est potestas legifera
propria societatis ecclesiasticae, secundum eius naturam societatis exter-
nae et visibilis. Quae humana potestas Ecclesiae utique procedit a Deo
et quidem modo speciali: sed non idcirco est divina, sicut non est divina
potestas societatis civilis, quae utique procedit a Deo: diversus enim mo-

Et Ecclesia quidem, cuius est definire suae competentiae terminos, hos ad pure internum actum nondum expresse extendit; dedit potius declarationes huic extensioni adversas h Censemus propterea, cum Angelico Praeceptore², quoad actus pure internos ecclesiasticam legem impotentem. Alii tamen aliter opinantur.

Sed perdurante inter canonistas aequae ac inter theologos

originis non facit ad rem. Cui potestati humanae Ecclesiae contraponitur potestas vicaria seu ministerialis, quae profecto divina est, a Deo Ecclesiae delegata, eamque habet plurimis in rebus: in determinandis ritibus accidentalibus sacramentorum a Christo non determinatis; in dispensatione et commutatione votorum; in proponendis, magisterio infallibili, veritatibus a Deo revelatis. Potestas haec vicaria a Deo concessa potest continere potestatem vicariam ad praecipiendos actus internos, qualis de facto datur, v. gr., confessario (Dei ministro) ad imponendam meditationem in paenitentiam seu satisfactionem sacramentalem. De hac potestate vicaria, quae divina est, hic non agitur. Nec agitur de potestate *in foro interno*, ubi causa non agitur inter fidelem et Ecclesiam, sed inter fidelem et Deum; sed de potestate in foro externo in quo directe prospicitur bono societatis. Agitur praeterea de potestate *legifera*, non de potestate *dominationis* quae in subditum habetur mediante voto et professione religiosa, ex qua profecto praecipere possent actus interni. Potest enim quis voto se adstringere ad oboedientiam etiam quoad actus internos sive absolute sive saltem praecipiente Superiore; tunc autem Superior praecipit ex potestate dominativa, cuius mensura desumitur ex traditione voventis» (Wernz-Vidal, *Ius Canon.*, I, 136, ed. 1952).

¹ «Textus iuris superioris quod attinet, *Decretum Gratiani* duos textus refert qui in materia poenali videntur negare potestatem Ecclesiae imponendi actus internos. Prior est decretalis Urbani II (a. 1080), qui subdiaconos et alios in maioribus constitutos ab eorum graduum dignitate excludit, si continentis esse nolunt, cum hac tamen restrictione: *De manifestis quidem loquimur: secretorum autem et cognitor Deus et iudex est* (c. 11, D. 32). Alter textus est a iure Romano desumptus (D. XLVIII, 19, de poenis, 18): *Cogitationis poenam nemo patitur* (c. 16, Dist. I, de paenitentia). Innocentius III, celebri effato (a. 1191) declaravit poena canonica feriendos esse solos illos simoniacos quorum excessus est Ecclesiae manifestus, quia haec *non iudicat de occultis*. Alio effato (a. 1207) addit, *quia nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare*, simoniam quae in sola intentione existit et non manifestatur, non cadere sub canonicis sanctionibus» (Van Hove, *De legibus ecclesiasticis*, 169, ed. 1930).

² S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 91, 4; 100, 9.

veteri controversia, non est putanda Ecclesia dirimere quaestionem disciplinari quodam decreto. Et ideo si qui veniant interiores actus sub lege ecclesiastica contenti, haec lex iure praesumitur salvari in nostra etiam sententia.

Casus primus.

Pater Christophorus, Ordinis Minorum, sive solus sive in 329 choro cum aliis divinas horas recitans libenter animo excurrit atque vagat. Hinc scrupulis angitur num obligationi Officii satisfecerit.

Quid dicendum?

Solutio

Quem ad modum intentio est actus voluntatis, attentio est 330 actus intellectus—advertentia, consideratio, applicatio mentis ad aliquid.

Ex parte obiecti communiter distinguitur attentio externa et interna. Externa habetur cum mens applicatur ad vitandos exteriores actus cum attentione interna impossibiles h Interna vero, cum mens applicatur sive ad verba orationis, quae recte proferantur—attentio materialis seu

1 «Attentio externa in vero sensu potest vocari attentio, cum per illam homo attendat ne oratio perturbetur per occupationes externas. Sicut enim custos qui attendit ne ferae irrumpant in hortum floridum, recte dicitur habere attentionem de horto, ita a pari orans qui abigit occupationes externas, habet attentionem de oratione» (Prümmer, *Th. Mor.*, II. 354, ed. 1928). Uti actiones impossibiles cum attentione interna, enumerat S. Alphonsus (*Th. Mor.*, IV, 176, ed. Gaudé) «fabulari, scribere attente audire alios loquentes, celeriter se vestire, magna applicatione aliquid agere»; ut actiones vero compossibiles cum attentione illa «ambulare. se lavare, induere non omnino properanter (cum sacerdotes immo teneantur orare dum se induunt sacris vestibus); item colligere herbas, flores aut uvas, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen, etc.».

superficialis—, sive ad sensum verborum—attentio litteralis—, sive ad finem orationis vel res divinas—attentio spiritualis.

Haec interna triplex attentio in actualem et virtuales dividit solet: actualis est qua quis actu considerat verba, sensum vel finem orationis; virtualis est advertentia quae fuit actu—initio videlicet orationis—atque ex intentione non retractata censetur moraliter permanere

331 Omnium sententia: *a*) ad essentiam ipsam orationis aliqua attentio est necessaria; *b*) ad orationem mentalem quaedam attentio interna requiritur, et ideo qui voluntarie vacat aliis cogitationibus orationem mentalem interrumpit; *c*) distractiones internae voluntariae sunt peccaminosae etiam in vocali oratione, cum sint contra reverentiam debitam Deo.

Disputatur attamen num ad externam orationem, maxime publicam—quae fit nempe ab Ecclesiae ministro, nomine Ecclesiae—requiratur attentio interna, aut externa sufficiat. Nam alii dicunt solam attentionem externam necessariam esse, simul cum intentione orandi sive Officii divini recitandi; alii petunt attentionem internam; et alii putant quod attendens ad rectam verborum prolationem, etsi alienis cogitationibus vacet, retinet cum attentione externa attentionem internam necessariam.

1 «Aliquis actus dicitur durare dupliciter: aut secundum essentiam, aut secundum virtutem, sive effectum suum; sicut motio eius qui lapidem proicit durat per essentiam actus dum manum lapidi movendo apponit, sed virtus motionis manet dum lapis ex vi impulsionis primae movetur. (S. Thomas, in 4, dist. 15, q. 4, a. 2, q. 3). «Secundum hoc dico, quod attentio in oratione manere debet semper secundum virtutem, sed non requiritur quod semper maneat per essentiam actus. Manet autem secundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi vel Deo debitum obsequium reddendi; etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur: nisi tanta fiat evagatio quod omnino depereat vis primae intentionis. Et ideo oportet quod frequenter homo cor revocet ad seipsum» (ib., q. 4). «Ascendit intellectus in Deum quando orationem ad Deum ordinavit, et virtus illius ascensus in tota oratione manet» (ib., 3m).

Porro nullibi constat Ecclesiam hactenus praescripsisse directe internam attentionem in Horas divinas recitandas; quoniam ipse textus *Dolentes*, de celebr. miss. (c. 9, X, 3, 41) non habetur tamquam probativus a Concina, strenuo defensore rigidioris sententiae. Ideo Priimmer: «Neque pro affirmativa neque pro negativa sententia potest ullum certum argumentum adduci ex definitionibus aut decretis Ecclesiae» *.

Quaestio ergo ponitur num interna haec attentio sit praecepta indirecte, utpote necessaria ut recitatio Officii veniat actus humanus aut saltem actus orationis. 332

Est autem necessaria ad ipsam orationis substantiam pro fautoribus rigidioris, seu alterius, sententiae. Qui tamen voluntarie quoque distractum aestimant satisfecisse Officio quandiu non plene advertat se distractum esse, advertens autem faciat aliquid ad eliminandas distractiones.

Pro patronis vero primae seu mitioris sententiae attentio interna non requiritur ad substantiam orationis saltem publicae; quapropter quandiu qui Officium recitat attentionem externam observaverit et integrum dixerit Officium, non est cunctandum quin obligationi recitationis satisfecerit¹.

Ad sententiam, denique, mediam sive tertiam, ipsomet facto quod recitans integrum Officium iam adhibuit internam attentionem ad verba pronuntianda, habuit etiam attentionem internam sufficientem³

1 Prümmer, *l. c.*, 355.

3 Obici forsan posset quod, stante probabilitate rigidioris sententiae et ideo dubio de sufficientia attentionis externae, principium applicandum est: Obligationi certae non satis fit adimpletione dubia. Sed hic praecise dubium agitur de legis existentia, utrum scilicet detur Ecclesiae lex praescribens internam attentionem. Ubi et prae oculis habendum est Ecclesiam bene nosse sententiam mitiorem theologorum, modernorum ac veterum, quin hucusque eam explicite damnaret aut implicite.

§ Attentio ad verba pronuntianda «si sit nimia, ineptam interruptionem faciet, scilicet si in singulis verbis homo cogitare velit qualiter

333 Patri igitur Christophoro respondendum est quod, etsi libenter animo excurrerit et vagaverit, seu quamvis voluntarie fuerit mente distractus Horas divinas recitans, obligationi Officii satisfecit quandiu intentionem recitandi Officium non retractaverit. Oportet attamen adiciamus eum peccasse irreverentia in Deum, indulgens distractionibus; ideoque venialiter toties quoties.

Alii casus.

334 C. II.— Cum superior quidam religiosus nonnullis praeciperet sibi subditis ut meditationi vacarent, alii renuerunt oboedire quod meditatio sit actus pure internus, alii contra putarunt se praeepto teneri ideo quod actus pure interni in canonibus 125, 595 et 1367 expresse praescribantur.

Sol.— Errarunt primi, nam «etsi oratio mentalis in se sit actus pure internus, vacatio, id est sese liberare ab aliis occupationibus atque sese applicare per aliquod spatium temporis orationi, est actus externus; ideoque potest ex hac parte evadere obiectum oboedientiae» h Errant quoque et alii, nam in illis canonibus «non praescribuntur directe interna pietatis exercitia clericis, religiosis alumnis Seminarii, sed eorum Superioribus praecipitur *ut curent* ea fieri, urgendo curam ipsorum pastorem et declarando materiam in qua non debent esse neglegentes (*curent*), ad quae de cetero ipsi se implicite obligant hoc ipso quod libere volunt in clericatum, religionem, Seminarium admitti. Qua ad hoc uti debeant potestate, canones illi non definiunt, et certe inutiliter ad hoc adhiberetur moralis coactio, v. gr. per poenas, si quae in illis materiis externa sunt adimpleantur» 2.

formanda sunt; quandoque etiam faciet errorem, quia sic cogitanti minus verba occurrent. Talis autem attentio sufficit, ut sit tanta quanta sufficit ad integram verborum pronuntiationem» (S. Thomas, *l. c.*, q. 1a., 5. 2m).

» Fanfani, *Th. Mor.*, III, 357.

’ Wernz-Vidal, *l. c.*, n. 138.

C. III.— Non admittens Ecclesiae potestatem in actus pure 335
internos. Damianus renuit paenitentiam acceptare quam de
meditatione novissimorum imponere volebat confessarius.

Sol.— Fallitur profecto Damianus, quoniam non agitur in
confessione potestas ecclesiastica sed vicaria sive divina.

C. IV.— Ex illo quoque capite Damianus denegat Eccle-
siae ius imponendi meditationem pro lucranda indulgentia.

Sol.— Hic quoque Damianus a veritate aberrat; quoniam
aliud est fideles obligare ut meditentur. et aliud determinare
condicionem sine qua ipsis non largitur Pontifex indulgen-
tiam.

C. V.— Ductus immo principio non absimili «de internis 336
non iudicat Ecclesia», Damianus eousque pergit ut dubitet
de valore excommunicationis latae in haereticos, cum haere-
sis consistat in interno dissensu.

Sol.— Etiam in huius principii applicatione deficit Damia-
nus. Canon enim 2314, in quo haeretici excommunicantur,
praesupponit canonem 2242, cuius exordio dicitur: «Censura
punitur tantummodo delictum externum...» Ideo, prout scite
Billot¹ animadvertit, in ipsa bulla *Ineffabilis*, qua definie-
batur conceptio immaculata B. Virginis, haec duo apprime
distinguebantur: a) qui dogma definitum non admitteret, eo
ipso deficeret a fide; b) poenis autem ecclesiasticis tunc dum-
taxat hic subditur si, quod corde sentiebat, verbo aut scripto
aut alio quovis modo ausus fuerit significare.

C. VI.— Emericus, qui Ecclesiae potestatem denegat in 337
actus internos accidentaliter coniunctos cum externis, non
potest intellegere quomodo Ecclesia praecipiat parochis ap-
plicationem missae pro populo.

Sol.— Ad quorundam sententiam, quoniam agitur actus
internus necessario coniunctus cum externo; applicatione

i Billot, *De Ecclesia*, I, p. 461. ed. 1909.

siquidem sacrificium offertur in certum finem, et ideo intentio agitur externam actionem afficiens h. Possemus quoque dicere Ecclesiam iniungentem parochis applicationem missae pro populo determinare dumtaxat debitum quo pastores tenentur ex officio, ut scilicet pro grege orent.

- 338 C. VU.— Potestne pariter Superior religiosus subditis praecipere sacerdotibus ut missam applicent ad eius intentionem?

Sol.— Affirmative, ut patet ex responso S. Congr. de Religiosis diei 3 maii 1914², vel quod non agitur actus internus pure accidentaliter conexus externo (337), vel quod Superior utitur potestate dominativa, vel quod religiosi tenentur ut adiuvent materialiter communitatem, de eorum necessitatibus sollicitam, et hoc praecepto definiatur modus (normalis hodie, forsitan et unicus) istius officii.

in. LEGIS HUMANAЕ PROMULGATIO

Doctrina.

- 339 Promulgatio legis est intimatio ordinationis a legislatore volitae et effectae, movens subditos ad aliquid sive agendum sive omittendum. Est propterea legislatoris actus. Sed cum ad legis constitutionem seu existentiam plures actus necessarii sint—consilium, indicium et imperium—, prout publica potestas salvatur optime in tota multitudine, in coetu civium, in uno praeside civitatis, sic et legifera potestas congrue salvatur in personis, physicis aut moralibus, diversis, ita videlicet ut uni sit votum consultivum, alteri votum deliberati-

¹ Lanza, *Th. Mor.*, I, 310.

² AAS.. 6 (1914), p. 231.

vum, alteri demum commendetur eius quod deliberatum est promulgatio.

At legem cum ferat princeps, promulgationem oportet ipse faciat ut est persona publica; ipse, inquam, sive immediate id est viva voce, sive scriptura vel praecone mediante. Quoniam lex fertur communitati, promulgatio vult etiam legem communitati proditam. Differt ergo promulgatio legis ab eis divulgatione seu notificatione quam legis iam promulgatae testes fide digni efficiunt.

Omnia quidem sententia, promulgatio est saltem con- 340
dicio necessaria legis. Controvertitur num sit quoque de legis ratione seu essentia. Stat pro affirmativa D. Thomas: nam lex dicit imperium, imperium autem, praeter motionem voluntatis et ordinem rationis, intimationem postulat, cum superior imperans moveat subditum, quem attamen non movet ipsum nisi physice aut moraliter attingat. Lex insuper est regula, non quae ligare possit, sed quae ligat seu obligat; nequit attamen regulare seu obligare quandiu non applicetur regulandis L

Sufficienter communitati promulgata lex obligat praesentes et absentes pro quibus fertur; quapropter si lata lex sit irritans, invalidus est contrarius actus quem posuit legi subditus, licet ignarus legis. Urget etiam statim, aliter nisi legislator statuerit. Si non incipit obligare statim a promulgatione, spatium temporis inter diem promulgationis et diem

1 Nec quem moveat decantatum ab adversariis argumentum: legis promulgatio, ideo quod sit applicatio cuiusdam regulae, regulam praesupponit constitutam. Regula namque quae Intellegitur applicationi praevia est regula ut in signo—prout scilicet est in verbo aut scripto—, quem ari modum applicatur Codicis articulus ei qui citra sublectionem velit agere et ei qui praescriptum aliquod est transgressus—; aut est regula quae nondum obligat—rationis ordinatio, quae est legis initium—; sed lex. dicens obligationem insuper, promulgetur oportet ut sit completa.

qua suum effectum lex incipit producere, vocatur tempus *vacationis* legis.

- 341 Quoad promulgationem legis civilis attendendum est Codicibus singularum nationum; communiter leges promulgantur in officiali folio vel periodico et urgent, uti plurimum, post dies, vel mensem, vel bimestrem a die quo in officiali folio sunt insertae.

Quoad leges episcopales, modus promulgationis ab ipso met Episcopo determinatur; ordinarie fit in folio vel periodico dioecesano. Nisi aliud expresse caveatur, statim a promulgatione obligare incipiunt (cf. can. 335, § 2).

- 342 Quoad promulgationem pontificiae legis, haec in Codice I. C. statuuntur: «Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus¹; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta» (can. 9).

Intelleguntur leges ab Apostolica Sede latae quae feruntur non modo a Romano Pontifice, sed etiam a Congregationibus, Tribunalibus et Officiis, per quae Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet (can. 7) et de quibus agunt can. 242-264.

- 343 Vim suam exserunt, uti plurimum, post tres dumtaxat menses a die qui apponitur numero Actorum quo inseruntur; non igitur a die quo lex fuit condita, neque a die quo Acta illa eduntur. Tres illi menses computandi sunt iuxta

¹ «Si lex quaedam pontificia evulgaretur alio modo, sine *expressa* cautione de promulgatione, nulla esset, nec obligaret» (Maroto, *Instit. I. C.*, I. 191, ed. 1919).

can. 34, § 3, 1.º et 2.º, ideoque ipse dies qui Actis inscribitur totalem numerum ingreditur; menses autem sumendi sunt prout in Calendario. Ergo lex condita die 15 februarii et promulgata in Actis diei 25 februarii non urget ante diem 25 maii; urget attamen iam ab initio huius diei, quia tres menses completi sunt.

Exceptionaliter exserunt vim suam serius aut citius leges quas legislator specialiter atque expresse statuerit serius aut citius obligare. Etiam per exceptionem a generali regula, illico quaedam leges obligant ex sua ipsa natura; eiusmodi sunt leges respicientes doctrinam fidei atque morum h. Immo, iuxta Van Hove², quem Berutti³ sequitur, nulla est vacatio «in decretis latis in materia quae nullam patitur dilationem et quae statim sunt applicanda, ut finis legis possit obtineri»; et affert (in nota) exemplum de decreto S. Paenitentiariae (16 nov. 1928) quo reservabatur peccatum confessorum sacramentaliter absolventium quos quomodocumque noverint factioni *L'Action Française* actu adhaerentes quique ab ipsis, uti tenentur, moniti, ab ea se retrahere renuerint⁴.

Exsulant, a fortiori, ab illa generali regula interpretationes authenticae exhibitae per modum legis, si verba legis in se certa declarent tantum: hae siquidem interpretationes,

* «Ex natura rei nulla est vacatio in decretis quae versantur circa materiam fidei et morum, aut libros damnant et in Indicem referunt, quia haec decreta sunt potius applicationes legis universalis et materiam fidei et morum tangunt» (Van Hove, *De legibus ecclis.*, n. 131., ed. 1930). «Statim obligare incipiunt leges et decreta quibus statuuntur prohibitiones librorum noxiorum: ordinantur enim ad praecavendum periculum circa fidei morumque integritatem» (Berutti, *Instit. I. C.*, I. n. 51. ed. 1936).

- Van Hove, *l. c.*

² Berutti, *l. c.*

« AAS.. 20 (1928). p. 398 s.

vi can. 17, § 2, promulgatione non indigent atque valent retrorsum seu gaudent virtute retroactiva h

Casus primus.

345 Mane dum typos componeret pro vaticano folio *L'Osservatore Romano*, Titius vidit inter manuscripta vetitum S. Officii quoad lectionem periodici «Don Basilio». Currit ergo ad aediculam ubi huiusmodi periodicum venale prostrat et emit legitque ultimum numerum priusquam serotinum *L'Osservatore* publici iuris fiat. Quod cum postridie, sibi ipsi confidens, narret Sempronio sacerdoti, audit tantam festinationem penitus superfluum, quoniam leges pontificiae—Sempronius asserit—non obligant nisi elapsis nonaginta (90) diebus ab eo quo in Actis Apostolicae Sedis promulgantur.

Quid de ratione agendi Titii et de animadversione Sempronii.

Solutio

346 Praemittamus textum vetiti de quo agitur (*L'Osservatore Romano*, 23 novembris 1946): «Suprema S. Congregatio S. Officii. Decretum. Damnatur folium hebdomadale *Don Basilio*. Cum folium hebdomadale quod *Don Basilio* inscribitur et Romae typis editur, iam inde a prima sui evulgatione, itemque deinceps, ex professo fidei veritates impugnare, cultui divino detrahere, ecclesiasticam hierarchiam publico con-

1 «Interpretatio haec declarativa nihil legi addit nihilque tollit, sed solummodo, quae subditi prius non intellegebant, facit ut intellegant; qua de causa nihil etiam est quod promulgetur, nullumque ius quaesitum cui interpretatio praecudicium afferat et ideo retrorsum non valeat» (Toso, *Ad Cod. I. C. cornm. minora*; ad can. 17. pag. 48). «Si quis Prae-latus legis universalis vereque *clarae* postulet et obtineat interpretationem, sane *universae Ecclesiae*, cui per *claram* legem iam abundanter provisum est, illa *nova* interpretatio non est promulganda, sed sufficit insinuatio oratori facta» (IVernz-Vidal, *Ius Canonicum*, I. n. 144, ed. 1952).

temptui exponere, clerum ac religiosos impetere et probris ac calumniis afficere ausu temerario perrexerit et pergat, Emi. ac Revmi. DD. Cardinales fidei moribusque tutandis praepositi, in generali consessu Supremae S. Congregationis S. Officii, habito feria IV, die 20 novembris 1946, eo in comperto habito quod huiusmodi folium, vi canonis 1399, nn. 3 et 6, C. I. C., conlati cum canone 1384, par. 2, ipso iure prohibeatur, declaraverunt illud nec vendi nec legi licere absque gravi peccato... Et sequenti feria V, die 21 eiusdem mensis et anni, SSmus. D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XII... relata Sibi Emmorum. Patrum resolutionem ratam habuit.»

Canones conlati sic se habent: «Ipso iure prohibentur...: 347
3. Libri qui religionem, aut bonos mores, data opera impetunt...; 6.º Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosorum probris afficiunt» (can. 1399). Et: «Quae sub hoc titulo (XXIII) de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet» (can. 1384, § 2).

Praeterea, ex can. 1398, § 1: «Prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit.»

Comperto igitur quod folium de quo agitur iam *ipso iure* ecclesiastico prohibitum erat, S. Congr. S. Officii simpliciter ac mere *declaravit* illud folium nec *vendi* nec *legi* posse absque gravi peccato.

Quapropter:

vetiti publicatione in *L'Osservatore Romano*; agebatur enim lectio vetita a die saltem 19 maii anni 1918, quo vigere incepit novum Ius Canonicum. Et si quidem prae vetito S. Officii dubium aliquod poterat esse Titio num revera folium illud ex professo veritates fidei impugnabat, cultui divino detrahebat, ecclesiasticam hierarchiam publico contemptui exposebat, clerum ac religiosos impetebat et probris atque calumniis afficiebat, semel tamen ac novit, ex lectione vetiti manuscript!, folium illud haec omnia facere, dubium prudens iam poterat remanere nullum; et ideo sub gravi tenebatur, vi praescripti canonum, ab eiusdem abstinere lectione. Peccavit igitur (objective) graviter illud folium legens.

2. Sempronius autem, quamvis non erret circa insufficientem promulgationem novae cuiusvis pontificiae legis in vaticano folio officioso, quando nulla expressa cautio fit in lege de speciali hoc promulgationis modo; quamvis non erret insuper circa vacationem legis per tres menses postquam lex, non excepta a generali regula, appareat in Actorum S. Sedis commentario officiali, errat attamen: *a)* dum tempus trium mensium vacationum generalium legis putat aequivalens tempori 90 dierum, cum possit significare dies 89 et dies 92; *b)* dum, ob ignoratam exceptionem can. 9, putat librorum prohibitionem illa quoque vacatione gaudere; *c)* dum, ob ignorantiam can. 17, putat omni convenire interpretationi quidquid convenit novae legi; et idea errat; *d)* applicationem faciens ad casum cui certe non applicatur can. 9. ubi agitur de promulgatione necessaria, sed can. 17, ubi promulgatio dicitur superflua.

349 Sui igitur erroris conscius Sempronius tenetur admone-
re Titium ne prosequatur legere folium illud; hic etenim non
debet relinqui in bona fide, ipsi incussa ex Sempronii ad-
monitione erronea, saltem quoniam, una vel festinatione, se-
paratum exhibuit stare Ecclesiae vetito, nec propterea ti-
mendum est ne peccatum materiale in formale vertatur.

Alii casus.

C. II.— Iustinus, medicus catholicus, legit in foliis civitatis Summum Pontificem in allocutione pridie habita ad quorundam medicorum coetum declarasse nonnullas operationes chirurgicas contrarias esse iuri naturali atque divino. Pergit autem has operationes peragere tamquam licitas quod in Actis Apostolicae Sedis nondum sit promulgata, modo nempe authentico, declaratio.

Sol.— Iustinus male agit promulgationem authenticam expectans. Hoc enim ipso, scribit Billuart \ quod quis quovis modo cognoscit, sive promulgatione, sive divulgatione, sive proprio studio, aliquid esse contrarium iuri vel naturali vel divino... tenetur illud vitare; nec opponatur declarationem S. Pontificis non esse infallibilem; quoniam hic non quaeritur de fallibilitate vel infallibilitate S. Pontificis sed de sufficientia promulgationis legis ut obliget.

C. III.— Lucidus, parochus, quantumvis legerat in Actis Apostolicae Sedis novam aliquam legem pontificiam, hanc nec post tres a promulgatione menses executioni mandavit, quod in folio dioecesis officiali nondum sit typis edita ob episcopi, prout audivit, positivum dissensum.

Sol.— Respondet Prümmer: «Leges Summi Pontificis nec etiam dependent ab acceptatione episcoporum; nam Papa habet suprematiam non solum honoris, sed etiam iurisdictionis in tota Ecclesia. Nihilominus, si quando episcopus rationabiliter putat, in sua dioecesi ob singulares circumstantias ibi existentes aliquam novam legem pontificiam causare verum nocumentum, potest ad tempus supersedere a publicatione istius legis; tunc autem debet quantocius in Curia Romana quaerere authenticam explicationem... Cum qui-

» Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. De legibus, diss. 3, a. 2 § 1.

libet bonus episcopus unionem habens cum Sede Apostolica non praesumendus sit filius inoboediens Ecclesiae, sacerdotes et fideles dioecesis excusantur ab observatione alicuius novae legis pontificae, quam episcopus in sua dioecesi nondum publicavit. Quod quidem praesertim locum habere potest in iure liturgico; e. gr. in aliquibus locis adhuc cantantur cantica in lingua vernacula durante Missa vel Benedictione sacramentali, licet hoc sit prohibitum de lege communi»¹.

- 352 C. IV.— Theophilus, sacerdos, canonistam rogat quo tempore obligare incipiant decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium.

Sol.— Responsionem poterat haurire ex ipso Codice I. C., in quo legimus: «Ipsimet autem Concilii Patres designent et modum promulgationis decretorum et tempus quo decreta promulgata obligare incipiant» (can. 291, § 1).

- 353 C. V.— Melitus negligere solet, tamquam non satis promulgatas, ordinationes quas Episcopus interdum folio hebdomadario (*Semaine religieuse*) inseri iubet, quia nemo (ait) tenetur ad folium istud emendum.

Sol.— Errat Melitus dum opinatur episcopales ordinationes non esse satis promulgatas ubi folio dioecesano insertae sunt. Nihil enim amplius requiritur ut saltem ea decreta quae a solis clericis servanda sunt, brevi omnibus ad quos pertinent, innotescant. Unusquisque ergo clericus tenetur vel ad emendum hoc folium dioecesanum vel ad inquirendum quandoque ab iis qui illud legunt, quid ab Episcopo statutum fuerit. Hoc enim est medium ordinarium et facile ad quod tenetur sicut ad ipsum finem, vid. ad statutorum episcopaliū observantiam. Ita Genicot².

¹ Prümmer, *Th. Mor.*, I. 203, ed. 1931.

² Genicot, *Casus Consc.*, 17, ed. 1928.

C. VI.— Qui scit legem iam esse factam a Rege. v. gr. de taxatione tritici vel de reductione monetae, et statim esse publicandam, teneturne legem observare prae promulgatione?

Sol.— Negative. Quapropter si maiori pretio venderet triticum quam esset taxatum per illam legem, non teneretur postea excessum restituere. Vel si monetam secundum valorem tunc communiter currentem distribueret—vel debita solvendo, vel emendo merces—, non teneretur inde ad restitutionem iuxta inferiorem valorem ad quem per reductionem legis esset reducta. Notitia etenim privata legis vel privata eius intimatio non sufficit ad legem condendam seu ad donandam legi vim obligandi. Sic Salmanticenses b

IV. RESCRIPTA

Doctrina.

Rescriptum, quod vi nominis sonat responsum scripto datum, definiri solet in iure canonico: Responsum R. Pontificis vel aliorum Ordinariorum scripto datum ad alicuius supplicationem, relationem vel consultationem.

Differt ergo ab Oraculo, quod datur viva voce; a Constitutione, qua lex conditur generalis; denique, a Decreto, quod fertur *motu proprio*. Si quando igitur Rescriptum habeat formulam *motu proprio*, haec apponitur tantum ad concessionem magis firmandam atque ad sananda vitia petitionis, ad normam can. 45.

Rescripta multipliciter distinguuntur:

1.º Ratione auctoris: alia sunt *pontificia*, aliaque *ordinaria*; illa a R. Pontifice—qui utitur ministerio Dicasteriorum in Urbe—, haec ab aliis Ordinariis conceduntur.

i Salmanticenses Mor, tr. 11, c. 1, u.

2.^o Ratione materiae: alia sunt *gratiae*, alia *iustitiae*, et alia *mixta*, prout nempe conceditur favor contra vel praeter ius commune non conexus cum contentione iudiciali, aut providetur administration! iustitiae, aut simul gratiam continent atque ad iustitiae administrationem spectant.

3.^o Ratione formae: quaedam sunt *in forma gratiosa* et quaedam *in forma commissoria*, quorum prima gratiam concedunt sine interposito exsecutore, altera vero committunt alicui exsecutori gratiam concedendam—necessario aut libere, prout exsecutor adstringitur necne ad gratiae concessionem 2. Ex can. 57: «Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita. Si tamen fuerit electa industria personae, exsecutori non licet alteri committere, nisi actus praeparatorios», v. gr. cognoscere authenticitatem rescripti, comprobare veritatem precum.

4.^o Ratione modi: aliqua *motu proprio*, aliqua dantur *ad instantiam* seu *ad preces*, prout rescripto apponatur necne clausula *motu proprio*.

357 Qui expresse non prohibeantur hi possunt libere rescriptum impetrare, pro se vel pro aliis, etiam praeter horum assensum; impetrato attamen potest quis non uti, prae acceptance quantumvis valido.

Ex Codice I. C.: «Condiciones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorum validitate censentur, cum per parti-

1 «Rescripta quibus gratia conceditur sine interiecto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore executionis» (can. 38).

2 «Ex ipsis verbis Rescripti erui potest qualis sit commissio num necessaria an libera. Nam si legitur v. gr. *absolvas, dispenses*, et similia, commissio certo certius necessaria est, etsi addita inveniantur verba *pro tuo arbitrio et conscientia*, quae quidem saepe adduntur urbanitatis causa. Si e contra legitur v. gr. clausula: *dispenses... si in Domino expedire iudicaveris*, vel si remittuntur preces *cum facultatibus necessariis et opportunis*, commissio libera est» (Rossi, *Decretum Lex Sacri Coelibatus*, p. 72 nota)).

culas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimentur» (can. 39). Insuper: «In omnibus rescriptis subintellegenda est, etsi non expressa, condicio: Si preces veritate nitantur, salvo praescripto can. 45, 1054» (can. 40).

Attamen: «Reticentia veri, seu subreptio, in precibus 358 non obstat quominus rescriptum vim habeat ratumque sit, dummodo expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda. Nec obstat expositio falsi, seu obreptio, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit» h Pariter: «Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio» (can. 47). In re matrimoniali, denique: «Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel concessione error circa gradum irrepperit, dummodo gradus revera existens sit inferior, aut licet reticatum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu» (can. 1052); et: «Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etiamsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit» (can. 1054).

Invalida sunt rescripta, cum «gratia ab una S. Congre- 359 gatione vel Officio Romanae Curiae denegata..., ab alia S. Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu S. Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo iure S. Pae-

1 Can. 42, § 1-2. Dicitur causa motiva (primaria, principalis, finalis) quae—sive una simplex cum vel sine circumstantiis, sive complexus plurium—moveret seu determinat rescribentem ad concedendam gratiam. Distinguitur a causa impulsive, quae faciliorem quidem reddit concessionem gratiae, sola tamen non movet.

nitentiariae pro foro interno» (can. 43); item, cum gratia a Vicario Generali denegata, postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo fuit impetrata; a fortiori, si ab Episcopo denegata fuit postea, absque consensu Episcopi, a Vicario Generali concessa (can. 44, § 2).

De rescriptorum, denique, interpretatione haec in Codice: «Rescripta intellegenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi» (can. 49). Et: «In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam» (can. 50).

Casus primus.

360 Anno 1915, cum Ioannes et Wanda, licet tertio consanguinitatis gradu in linea collateralis detinerentur, matrimonium ob mutuum amorem atque illicitas relationes iam inter se habitas, inire vellent, sponsae parochus, quem veritas non latebat, dispensationem a S. Sede petiit, ardentem dumtaxat amorem sponsorum producens, cui, ut securius gratia obtineretur, aliam addidit causam, nec tamen veram, loci nempe angustiam atque conexam pro muliere difficultatem alium inveniendi maritum.

Dispensatione obtenta, nuptiae rite celebratae sunt; at AVanda, quae scrupulum semper in animo gessit ob occultatam veritatem atque falsae causae descriptionem, rem tandem confessario aperit, iudicium atque consilium ab eodem expectans.

Solutio

Agitur in casu de impedimento matrimonium dirimente 361
 i (can. 1076, § 2), eoque natura sua publico—quamquam de
 facto in aliqua regione occultum sit—; pro cuius ergo dis-
 j pensatione ad matrimonii validitatem recurrendum est, non
 ad S. Paenitentiarium, sed ad Congr. de Sacramentis.

Porro in causis motivis, pro impedimentorum dispensa-
 tione, numerantur angustia loci, copula habita, praegnantia
 atque prolis legitimatio h Amor autem sponsorum, quan-
 tumvis ardens, non venit in Auctoribus motiva causa.

Et quoad copulam quidem, iam Leo XIII, decreto S. Of-
 ficii 25 iunii 1885, abrogavit obligationem antea vigentem
 exprimendi in libello supplici copulam incestuosam inter
 sponsos habitam 2; igitur reticentia copulae iam habitae non
 officiebat validitati rescripti, quodcumque fuerit impedi-
 mentum dispensandum.

Sed agitur in casu de impedimento minoris gradus 362
 (can. 1042, § 2, 1.º), cuius dispensatio nullo irritatur obrep-
 tionis vel subreptionis vitio, etiamsi si causa finalis in preci-
 bus exposita falsa fuerit 3.

Wanda igitur, quantumcumque cum parocho cooperata
 sit ad falsam causam motivam adducendam in supplici libe-
 llo. non est cur de matrimonii contracti validitate dubitet;

1 Cf. Prümmer. *Th. Mor.*, III, 862 s., ed. 1928.

2 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, II, 792. ed. 1939.

3 Can. 1054. Hoc Codicis praescriptum iam vigit ante Codicem:
 anno <nim 1908 statutum fuerat: «Dispensationes a minoribus impedi-
 dimentis conceduntur omnes *ex rationalibus causis a S. Sede probatis*. Sic
 vero concessae perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia*
 impertitae sint; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obrep-
 tionis vitio sive subreptionis» (Gasparri, *C. I. C. Fontes*, VIII, p. 527)).
 «Unde exsecutor investigare non debet in huiusmodi dispensationibus
 gradus minoris an preces veritate nitantur» (FERRKRES, *Casus Conse.*, II,
 955. ed. 1926).

doleat tamen de cooperatione ad mendacium, quae certo culpa, subjective saltem, non est censenda gravis

Alii casus.

363 C. II.— Aurea catholica nuptias iniit cum iuvene non baptizato. Praecessit quidem dispensatio ab impedimento disparitatis cultus, at impetrata fuit propter unum civilis matrimonii periculum, quod aderat revera nullum.

Sol.— Supponimus adfuisse certum idque unicum disparitatis cultus impedimentum, impedimentum quidem iuris ecclesiastici, sed dirimens (can. 1070, § 1; can. 1036, § 2) atque maioris gradus (can. 1042, § 3). Supponimus pariter unicam causam, ideoque motivam, civilis matrimonii periculum, allatam fuisse ad dispensationem obtinendam. Supponimus denique causam huiusmodi falsam exstitisse: revera nullum aderat periculum civilis matrimonii, tempore scilicet quo rescriptum aut datum aut mandatum fuit executioni. His in adiunctis, dispensatio obtenta fuit prorsus irrita; quapropter matrimonium subsequens fuit invalidum.

Animadvertamus tamen oportet periculum supponi adfuisse nullum. Quoniam ad dispensationis validitatem non requiritur periculum certum, quod hic et nunc scilicet habeat cum civili matrimonio coniunctionem moraliter certam. Sufficit etenim periculum probabile, ex quo videlicet matrimonium civile probabiliter consequetur, etiam si probabile quoque sit civile matrimonium non inde consequi; periculum nempe quod civile matrimonium reddat solide futurum seu

1 Ex can. 2361: «Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpa gravitate puniri, salvo praescripto can. 45, 1054». Wanda igitur, si reapse cooperata est mendacio parochi posset ab Ordinario puniri. Practice unus parochus erit qui puniatur. Verum poena nequit afficere validitatem rescripti aut rescripti executionem.

prudenter timendum. Iudicium autem prudens de existentia periculi is efformare debet qui dispensationem concedit vel exsequitur; non ex iis quae probabiliter movent alios, sed ex iis maxime quae probabiliter movent personas de quibus agitur. Sit periculum certum aut probabile, periculum est verum, quamvis ii qui periclitantur sint periculi inconscii; nec tunc ambigendum foret de dispensationis et matrimonii subsequenter validitate.

C. III.— Nicomedes, postquam turpe commercium cum 364 Rosa consobrina foverit, a S. Congr. de disciplina Sacramentorum dispensationem ad amasiam ducendam petiit, adducens tamquam unicam causam legitimationem prolis iam natae, quae nascitura tamen sperabatur prae gratiae concessione. De facto tum preces tum concessio plumbeo pede incesserunt, ita ut quando dispensatio concessa fuit proles non modo nata verum fuerit et mortua.

Sol.— Quoniam ex can. 41 : «In rescriptis quorum nullus est executor, preces veritate nitantur oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore executionis», si proles in casu mortua fuerit ante dispensationis concessionem. dispensatio est nulla.

C. IV.— Rosa votum emiserat perfectae castitatis, postea 365 tamen, amore capta Gundisalvi, dispensationem a voto petiit ab episcopo dioecesano, pristini fervoris amissionem producens uti praecipuam causam. Cum episcopus dispensationem denegaret, Rosa recursum fecit ad S. Congr. de Sacramentis, eandem causam adducens sed de episcopi denegatione tacens. Non obtinens a S. Congregatione responsum favorabile, scripsit per confessarium ad S. Paenitentiarium, itidem proferens eandem causam atque silens de duplici repulsa hucusque habita. S. Paenitentaria precibus induisit.

SoZ.— De valore dispensationis non est ambigendum, ob finalem clausulam can. 43 supra citati (359). Unde Priim-

mer: «Sola rescripta S. Paenitentiariae, utpote pro foro interno concessa, remanent valida, quamvis antea pro foro externo aliqua Congregatio vel Officium eandem gratiam negaverit» \ Sicut etiam valida foret dispensatio concessa a S. Congr. de Sacramentis post habitam et reticitam repulsam Ordinarii loci.

I

366 C. V.— Bertha votum castitatis emisit, sed post aliquot annos confessarium rogat ut dispensationem a S. Sede obtinere velit ad matrimonium contrahendum. Accepto rescripto. S. Paenitentiariae petitam gratiam concedentis, Bertha noluit matrimonium inire; unde confessarius rescriptum executioni non mandavit, sed destruxit. Nunc vero Bertha iterum ad confessarium accedit eandem dispensationem petens, quod nec votum renovavit nec eius adiuncta personalia mutata sunt.

Sol.— Ad hunc casum Ferreres²: Confessarius potest executioni mandare antiquum rescriptum, etsi illud destruxerit; nam concessio facta perseverat, etsi paenitens illi renuntiet aut delegatus desistat ab executione. Ut concessio cesset requiritur ut renuntiatio a S. Sede admittatur, quod hic non occurrit. Quod rescriptum fuerit destructum nihil refer., nam agitur de concessione pro foro interno, quae nullo documento probanda est coram aliis. Satis est ut confessarius concessionis tenorem memoria teneat.

¹ Pr Ommer, *Manuale iuris Eccli.*, q. 32, ed. 1920.

² Ferreres, *l. c.*, n. 1000.

V. CENSURAE ET CASUS EPISCOPALES

Doctrina.

«Censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et 367
contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus
adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur»
(can. 2241, § 1).

Censurae distinguuntur primo, excommunicatio, interdic-
tum, suspensio (can. 2255, § 1). Quod si interdictum atque sus-
pensio veniunt quoque inter poenas vindicativas (can. 2291,
2298), censurae habendae sunt quoties feruntur ad tempus
indeterminatum—id est, donec delinquens recedat a contu-
macia, se emendaverit, satisfecerit, etc.—, et habendae sunt
poenae vindicativae quoties feruntur in perpetuum aut ad
tempus determinatum—v. gr. ad mensem, ad annum, etc.

Iterum censurae distinguuntur quatenus infliguntur aut
per legem—stabilem—sive universalem sive particularem,
vel per modum praecepti generalis—carentis perpetuitate—
et dicuntur censurae *a iure*; aut per modum praecepti parti-
cularis vel per sententiam condemnatoriam seu iudicialem,
et dicuntur censurae *ab homine*.

Tertio censurae distinguuntur *latae et ferendae senten-* 368
tiae, quarum illae incurruntur ipso facto patrati criminis, sine
praevia sententia condemnatoria—immo, pro foro interno,
sine praevia declaratoria sententia—; hae vero non incu-
rruntur nisi post sententiam condemnatoriam vel post no-
vum actum superioris qui censuram iure comminatum ap-
plicet seu infligat delinquenti.

Censurarum, denique, quaedam *non reservatae*, quaedam
reservatae dicuntur, prout ab omnibus aut tantum a qui-
busdam possunt absolvi. Et censura quidem *ab homine* re-

servata manet ei qui censuram infligit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori aut delegato. Ex censuris autem *a iure* reservatis, aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Sedi Apostolicae*. In his, quaedam sunt reservatae *simpliciter*, quaedam *speciali modo*, quaedam *specialissimo modo*, pro maiori nempe difficultate obtinendi facultatem absolvendi ab ipsis (cf. can. 2245).

369 Ex Codice I. C.: «Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur» (can. 2226, § 1). Expresse autem «impuberes excusantur a poenis latae sententiae» (can. 2230).

Porro ibidem legimus: «Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiciuntur pro quibus leges latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14» (can. 13, § 2). In legibus conditis pro peculiari territorio sunt manifesto leges Ordinarii loci. Hinc can. 14, § 1: «Peregrini: 1.º Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quandiu ab eo absunt, nisi earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales; 2.º Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant; 3.º At legibus universalibus tenentur, etiamsi hae in suo territorio non vigeant, minime vero si in loco ubi versantur non obligent.»

370 Ex ipso quoque Codice: «Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis» (can. 615). Attamen: «§ 1. Regulares extra domum illegitime degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent. § 2. Si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci

Ordinario puniri possunt, etsi a domo legitime exierint et domum reversi fuerint» x.

Regulares igitur, quatenus exempti a jurisdictione Episcoporum, horum legibus non tenentur, nec propterea eorum censuris possunt compelli. Sed in iis in quibus iurisdictioni episcopali subsunt, ad observantiam adstringuntur illorum legum et, nisi speciali privilegio gaudeant, delinquentes possunt ab Ordinario loci censuris puniri.

Gaudent autem hoc speciali privilegio regulares Mendicantes omnes l. Vi huiusmodi privilegii nequeunt ab Episcopis puniri—in iis videlicet delinquentes in quibus horum iurisdictioni subsunt—interdicto, suspensione, excommunicatione. Ergo quamvis valeant ab Episcopis—dum his subsunt—aliis puniri poenis, non attamen censuris.

Casus episcopales dicuntur peccata reservata sine censu- 371
ra. Casuum autem seu peccatorum reservatio est actus quo Superior competens, in casu Episcopus, ad proprium advocat iudicium peccata quaedam, sic limitans *confessariis* ordinariis potestatem absolvendi, quoad ipsa nempe. Ideo reservatio peccati tenet primario atque directe confessarium, cuius absolvendi potestas limitatur; secundario et indirecte paenitentem, qui cogitur adire tribunal Superioris vel confessarii privilegiât!, ut aiunt, praediti scilicet potestate ab huiusmodi peccatis absolvendi.

Huic reservation! subsunt impuberes—nisi expresse ab Episcopis excipiantur—si committant peccatum grave (objective seu materialiter atque subjective sive formaliter), externum, opere consummatum, quod reservatum fuit. Pere-

l Can. 616. Casus a iure expressi quibus regularium exemptio limitatur videri possunt in Vermeersch-Creusen, *Ejrit. I. C.*, I, 778, ed. 1933, et Wernz-Vidal, *Ius Canon.*, III, 404, ed. 1933.

' Cf. Ballerini-Palmieri, *Opus Theol. Mor.*, VII, 81, ed. 1893; Wernz-Vidal, *I. c.*, VII, 228, ed. 1951.

grini quoque tenentur reservationibus loci in quo degunt seu confessionem instituunt, nam absolvuntur iurisdictione ab Ordinario loci recepta. Ipsi quoque religiosi exempti, eorumque familiares (can. 514), subsunt pariter loci reservationibus dum confessionem peragunt apud confessarium utentem iurisdictione accepta ab Ordinario loci; non autem si instituunt confessionem apud confessarium praeditum iurisdictione illimitata habita a Superioribus religionis.

Ignorantia reservationis a reservatione non excusat; nisi Ordinarius reservet sola peccata cum notitia reservationis commissa—quod quidem significare potest non tantummodo expresse, sed etiam tacite, v. gr. si permittit in eius Seminario excusationem doceri ex capite ignorantiae.

Casus primus.

372 Sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda Hispalensis vetuit Ordinarius ne sacerdotes, saeculares ac religiosi, intersint agitationibus taurorum, per totam Hispaniam famosissimis.

Contigit autem ut cum Pater Vincentius, O. P., localis conventus religiosus, visitationem nuper receperit sacerdotis saecularis exteri, ab hoc stimulatus et permotus agitationibus taurorum una cum illo simul interesset.

Num Pater Vincentius eiusque socius suspensionem evaserint.

Solutio

373 Quoad Patrem quidem Vincentium evasio suspensionis difficultate caret. Agitur enim de viro regulari qui dioecesanæ legi, ob exemptionis privilegio non subicitur. Nam, quantumvis in Codice dicatur: «Obligationibus communibus cie-

¹ AAS., 12 (1920). p. 575.

ricorum, de quibus in can. 124-142, etiam religiosi omnes tenentur...» (can. 592), vi autem can. 140: «Spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris (clerici), ne intersint», agitur in casu lex universalis praeceptiva, dum agitur in dioecesi particularis insuper lex poenalis. Tenebatur ergo Pater Vincentius obtemperare legi communi, stare quoque Ordinarii loci iudicio qui, ob poenam legi adnexam, liquido ostendit interventum illum non vacare in dioecesi Hispalensi gravi scandalo. Non attamen incurrit suspensionem. Attamen, quoniam extra domum legem universalem violavit, Pater Vincentius, nisi a proprio Superiore praemonito puniatur, potest ab Ordinario loci puniri; non tamen suspensione, excommunicatione vel interdicto, propter speciale privilegium quo Mendicantes gaudent.

Verum quod attinet ad eius socium, sacerdotem saecula- 374
rem extradioecesanum, res est minus obvia.

Ut a facilioribus autem procedamus, episcopalis illa prohibitio aut expresse peregrinos complectitur, aut non. Nul- lum etenim dubium quin ad peregrinos quoque valeat porri- gi. Nam S. Congr. Concilii monuit Ordinarios locorum «quo sacerdotes valetudinis causa se conferre solent» ut hos pe- regrinos sacerdotes «sedulo attenteque invigilent», et adiecit: «Ut autem hi sacerdotes facilius in officio contineantur, op- portunas poenas constituent quibus afficiantur si scandalum dederint vel si quoquo modo aliquid egerint quod sacerdo- tali munere indignum sit.» Quin immo subdidit: «Comminari etiam possunt suspensionem ipso facto incurrendam si pu- blica theatra, cinematographa, ludos saltatorios ceteraque huiusmodi profana spectacula adeant, vel si talarem vestem deponant» \ Porro cum S. Congr. Concilii nequeat derogare canoni 14, § 1, n. 2, haec dum statuit canoni non derogat; ergo

peregrini tenentur his legibus territorii; non quidem quoniam «sollemnia actuum determinant»; ergo quoniam «ordini publico consulunt» b Casu igitur quod vetitum Ordinarii Hispalensis peregrinos expresse complectatur, sacerdos ille exterus suspensionem a divinis non evasit.

- 375 Quid autem si de peregrinis lex illa non loquatur expresse? Ex can 2226, § 1, iam citato, «poenae adnexae legi vel praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur». Si igitur peregrinus tenetur lege episcopali nec expresse eximatur ab incurrenda suspensione, delinquens suspensionem incurrit. Porro peregrinus tenetur legibus territorii in quo versatur quando illae leges consulunt ordini publico 2. Propterea igitur quod peregrinus fuerit, socius Patris Vincentii non evasit minatam suspensionem; nisi archiepiscopus Hispalensis a lege poenae adnexa peregrinos expresse exemerit.

Alii casus.

- 376 C. II.— Dum sodales confraternitatis SS. Sacramenti, die dominico, ut moris erat, in suo ipsorum oratorio, officium SS. Sacramenti decantarent, orta est quaestio de praecedentibus

1 «S. Congregatio Concilii non potuisset sine speciali concessione S. Sedis, quae in casu deficit, derogare iuri communi, quod non omnia spectacula, chorea et pompas clericis interdicit sed tantum quae ipsis dedecent. Nec ideo ubique est talis poena comminanda, sed res committitur iudicio Ordinarii. Ratio videtur esse frequentationem talium spectaculorum in certis locis revera nocere bono publico, propter circumstantias particulares, inter quas numerandum est scandalum.» Sic Van Hove (*De legibus*, n. 216, ed. 1930), qui in nota adiecit: «Lex quae prohibet aliquem actum ponere quia ex eo sequitur scandalum, est lex quae ordini publico consulit.» Parem explicationem afferunt Vermeersch-Creusen, *l. c.*, n. 110 et Wernz-Vidal, *l. c.*, I, 156, ed. 1952.

3 «Illae leges quae ab omnibus servandae sunt ne bonum publicum pereat, omnes etiam peregrinos ligant» (Van Hove, *l. c.*). «Quando ipsis legibus positivis tenentur, tunc peregrini contrahunt adnexas censuras et poenas vindicativas, etiam latae sententiae» (Vermeersch-Creusen, *l. c.*).

tia cuiusdam officialis in recitandis lectionibus, aliis alia opinantibus. Animi adeo incaluerunt, ut cum magno fidelium scandalo sacras aedes clamore impleverint, contumeliis, calcibus etiam et pugnis sese invicem impetentes. Indignatus Ordinarius loci, illorum confratrum oratorium interdicto suppossuit ad tempus indeterminatum. Paulo post, recurrente festo Corporis Christi, confratres in oratorium adhuc interdictum convenerunt, apertisque eiusdem ianuis pulsatisque campanis, veriti non sunt iuxta morem officium SS. Sacramenti sollemniter decantare, celebrante ibidem Missam ac S. Communionem distribuyente Aliprando sacerdote regulari, qui, utpote ab Ordinarii loci jurisdictione exemptus, putavit se non subici episcopali interdicto.

Sol.— Aliprandus, nisi fuerit unus ex litigantibus vel sit personaliter interdictus, potuit in illo oratorio celebrare Missam et distribuere S. Communionem; non quod sit sacerdos exemptus, nam exemptio non eximit a servando interdicto locali (can. 2269, § 2), sed quod in festo Corporis Christi interdictum locale suspendatur (can. 2270, § 2). At qui interdicto locali causam dederunt sunt personaliter interdicti, et ideo nequiverunt divinis officiis assistere vel sacramenta recipere, nisi prius absoluti ab interdicto. Qui vero illi interdicto non dederunt causam, hi optime potuerunt (alia censura non prohibiti atque rite dispositi) sacramenta recipere.

C. III.— Pater Raymundus, O. P., qui, senio laborans, conventu egredi non valet, peccatum in dioecesi reservatum confitetur Patri Humberto, eiusdem Ordinis confessario non privilegiato (371). Hic autem dubitat num, cum sint in Conventu confessarii plures pro casibus reservatis ab Ordinario loci deputati, valeat ipse absolutionem impertiri.

Sol.— Pater Humbertus valet, absque dubio, poenitentem absolvere a peccato. Primo, quoniam, etsi iurisdictionem non haberet nisi a loci Ordinario, agitur paenitens aegrotus qui domo (religiosa) egredi non valet, quo quidem in casu reser-

vatio cessat x, ideoque peccatum reservatum habendum est ac si non esset reservatum; immo quoniam liceitatem absolutionis legislator non coarctat, prouti facit, v. gr. quoad complicem in articulo mortis constitutum (can. 2367), licite confessarius noster absolvit quantumvis plures sint in conventu privilegiât! confessarii. Secundo, quoniam Pater Humbertus gaudet insuper (ut mos est) iurisdictione sibi collata a Superioribus Ordinis, vi cuius valet religiosos absolvere a reservatis episcopalibus: sicut enim nec Ordinarius loci est subditus Superiorum regularium—qui ideo possint eius potestatem limitare—et ideo iurisdictione accepta ab Ordinario loci quilibet confessarius «potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis» (can. 519); ita pariter neque Superiores religiosi sunt subditi Ordinarii loci—qui possit eorum potestatem limitare—et ideo iurisdictione accepta ab Ordinis Superioribus potest confessarius quilibet regularis confratres suos absolvere a peccatis in dioecesi reservatis.

378 C. IV.—Leonardus, simplex confessarius, absolvit Bertham, quae peccatum in se quidem reservatum commisit sed cum advertentia dubia, atque Caiam, accusantem peccatum de quo controversia habetur utrum reservatum sit necne.

Sol.—Valide atque licite absolvit utramque. Nam in dubio num peccatum sit reservatum, censendum est non esse reser-

1 «Quaevis reservatio omni vi caret: 1.º. Cum confessionem peragunt aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa; 2.º Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii Iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi paenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; 3.º Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam paenitens ex eo discesserit» (can. 900).

Et quoad primum equidem casum ait Cappello (*De sacramentis*, II-I, 552. 2. ed. 1929): «Non requiritur absoluta impotentia; satis est moralis i. e. magna difficultas. Unde aegrotis aequiparandi sunt omnes qui ob senium aut corporis statum, aut paralytici, domi manere coguntur.»

vatum, sive agatur de dubio facti—cum dubitatur num peccatum commissum sit, num sit grave, num fuerit patratum cum omnibus condicionibus ad reservationem requisitis—, sive agatur de dubio iuris—cum non constat apud Auctores hunc casum comprehendi sub verbis reservationis—. In utroque casu peccatum remittitur, absolutione confessarii simplicis seu non privilegiât!, modo directo, id est vi absolutio- nis; neque dumtaxat indirecte, virtute gratiae sanctificantis infusae per sacramentalem absolutionem. Neque propterea manet obligatio idem peccatum accusandi apud confessarium privilegiatum, etsi postea innotuerit ipsum revera reserva- tum fuisse.

VI. LEX CIVILIS POENALIS

Doctrina.

Lex poenalis, ne vitiosum circulum ingrediamur, non 379 potest definiri nisi ex parte expressae obligationis; sicut ergo dicenda est praeceptiva vel prohibitiva quae exprimit obligationem ad solum actum sive ponendum sive omittendum—qualis est lex ecclesiastica de missa audienda et laboribus servilibus omittendis die dominica—, *sic* lex poenalis pronuntietur quae exprimit obligationem ad solam poenam subeundam, ob defectum vel positionem actus; lex, denique, mixta habeatur quae exprimit obligationem ad poenam praeterquam ad actum

Lex mixta valet intellegi copulative mixta, si sic feratur, v. gr. Nemo acceptet duellum, acceptans autem incurrat excommunicationem ipso facto; et disiunctive mixta, ubi ita

* Definire legem praeceptivam: quae obligat in conscientia ad actum; legem poenalem: quae obligat in conscientia ad poenam; legem mixtam: quae obligat in conscientia ad actum, immo ad poenam si actus omittatur, esset iam in capite quaestionis certum id supponere quod est probandum.

sonet, v. gr. : Confraternitatis socii assistant processioni aut solvant multam.

Lex poenalis potest obligationem unam ad poenam bifarie exprimere, tacens nempe de culpa atque excludens culpam. Tacet de culpa, v. gr. haec lex: Qui venalia in civitatem clam intulerit, triplum, ubi apprehendatur, tributum solvat. Excludit culpam haec alia, religiosis Institutis familiaris: Volumus et declaramus ut Constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam, sed ad poenam, nisi propter praeceptum ¹ vel contemptum ².

380 Et leges quidem poenales indubie dari possunt, tum tacentes de culpa, tum excludentes culpam. Excludunt culpam, uti diximus, leges, ut plurimum, Institutorum religiosorum. Tacent de culpa hodiernae cunctae civiles leges. Quaestio autem ponitur num leges quae de culpa tacent obligationem nullam pariant in conscientia, sub culpa, ad actum, ponendum sive omittendum, cuius puniunt omissionem sive positionem. Sunt enim Doctores qui eiusmodi legum existentiam et agnoscunt et plaudent in civilibus, quandiu lex tamen mere civilis agitur, puniens scilicet omissionem vel positionem, non quidem actus iam naturali lege praecepti vel prohibiti—ut cum punit filium qui parentibus negat oboedien-

¹ «Praeceptum autem in Regula nullum (nisi quod de natura sua est, ratione trium votorum, vel divinae aut ecclesiasticae legis) contineri volumus et declaramus. Et idem in Constitutionibus, nisi ubi ponitur poena excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum: Praecipimus in virtute Spiritus Sancti, vel sanctae oboedientiae; et hoc idem in Ordinationibus et Praelatorum verbis et litteris intelligi volumus» (*Constitutiones O. P.*, n. 32 § II).

² Propter contemptum quidem perfectionis, nam, licet non teneatur perfectus esse, religiosus tenetur ad perfectionem tendere. Propter contemptum quoque Regulae, quoniam se obligavit ad vivendum secundum Regulam, cui subdatur igitur. Prout Caietanus tamen animadvertit, hi duo contemptus se mutuo comitantur, sic ut qui contemnit perfectionem sive finem contemnat Regulam seu medium, qui vero non contemnit Regulam non contemnat ipsam perfectionem (196n).

tiam, cum punit homicidas, fures, adulteros, etc.—, sed actus ex sese indifferentes.

Ad horum Doctorum placita, leges obligantes ad solam poenam his signis sive criteriis 1 dignoscuntur: *a)* ex materia, si haec videlicet, potius quam moralis, est politica et ad bonos mores parvi refert; *b)* ex poena, si haec nempe excedat culpam; et *c)* ex communi aestimatione aut iudicio Doctorum.

Verum ipsi patroni legis poenalis quasdam ex hodiernis 381 legibus civilibus leges pronuntiant mixtas, seu obligantes in conscientia non modo ad poenam subeundam sed ad ponendum insuper vel omittendum actum cuius omissio vel positio poena plectitur. Sic Aertnys-Damen: «Lex poenalis est censenda mixta: *a)* si legis materia moralis est, id est pertinens directe ad bonos mores aut pacem publicam; *b)* si poena est proportionata quidem, attamen valde gravis, puta gravis carcer; ita saltem ordinarie» 2. Et Vermeersch: «Hodie, ex probabili opinione, eae solae leges civiles conscientiam immediate obligant quae, ob boni communi necessitatem, talem vim habere debent. Id frequentius contingit in legibus quae de iuribus decernunt quam quae directe quidpiam praecipiant aut vetant sub poena» 3.

Meo quidem iudicio theoria de lege poenali, etiam in civilibus, fundamento caret, ut videbimus (383 ss.); ideoque leges, etiam civiles, quae exprimunt dumtaxat poenam, de culpa tacentes, neque culpam positivo modo excludentes, sunt leges mixtae 4.

1 Quidam invocant uti primum criterium voluntatem legislatoris in ipsa lege expressam. Sed cum praecise agatur de legibus quae modo expresso non excludunt culpam, huic criterio nullus superest locus.

2 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 160, ed. 1939.

3 Vermeersch, *Th. Mor.*, I, 178 ed. 1926.

4 Hanc quaestionem fuso calamo evolvi in *De lege* (Madrid, 1953), n. 107, ss. Quaestionem autem de obligatione Regulae et Constitutionum religiosarum, in *De statibus hominum variis* (Madrid, 1958), n. 208 ss.

Casus primus.

382 Beniaminus censet omnes leges civiles hodiernas esse revera mere poenales. Id deducit: 1.^o) ex materia earum politica et iuridica potius quam morali; 2.^o) ex testimonio iurisperitorum docentium leges civiles abstrahere ab ordine morali et conscientiae; 3.^o) ex spiritu civilium legislatorum hodiernorum, qui de conscientia noverunt nihil, saltem nihil curant; 4.^o) ex communi civium persuasione et praxi: hi etenim possunt facere ut desuetudine cesset lex, igitur ut cesset virtus eius quoad partem; 5.^o) ex ipsomet praeiudicio quod commune bonum incurreret, finis attamen legis: tot sunt siquidem leges hodierni Status sicque pervadunt vitam privatam pariter ac publicam, ut si in conscientia urgerent, vita socialis impossibilis prorsus redderetur. Hinc pro libitu et sine scrupulo quasve leges civiles transgreditur, excepto casu quo per talem transgressionem sese periculo gravis poenae vel alterius gravis damni exponeret.

Quid de theoria et praxi Beniamini ?

Solutio

383 Theoria, omnium quidem iudicio. omnino falsa est. Nam vel ipsi Doctores qui patrocinantur legi mere poenali, quasdam ex hodiernis legibus civilibus pronuntiant leges mixtas.

Neque rationes quae afferuntur a Beniamino demonstrativae sunt.

P. Quod materia sit politica et iuridica potius quam moralis, potest quidem evincere actum vel omissionem indifferentem esse prae lege; non evincit attamen, lege posita, indifferentiam eius moralem. Nec profecto lex erit, sed iniquitas, si quae iubet aut vetat non praecipiat aut prohibeat ob commune bonum; at in bonum commune praecipii possunt

atque debent non modo necessaria, sed et utilia. Ipsa propterea regulatio vitae politicae et iuridicae inveniri potest necessaria aut utilis communi bono, atque propterea lege sanciri.

2.° Testimonium jurisperitorum, insufficiens, cum ipsi non prospiciant nisi externum forum, quapropter abstrahant ab ordine morali seu conscientiae. Porro si «abstrahentium non est mendacium», non propterea quod a foro abstrahunt interno, forum internum negant. Quod nec negare possunt, in eo cum careant competentia.

3.° Spiritus ille qui hodiernis legislatoribus civilibus as- 384 truitur non est universalis : conscientiam enim norunt plures moderni principes atque plures tum deputati tum senatores qui legislativum conflant parlamentum. Verum ipso dato, ratio praecipue urget quoad paganos reges et principes, quibus tamen Apostoli et Ecclesia perpetuo praedixerunt oboediendum, nec modo propter iram seu poenam, sed etiam propter conscientiam. Nec ideo quod legislator conscientiam ignorat vel contemnit, limitat seu infirmat legis virtutem : lex parit obligationem in foro conscientiae, non vi superadditae voluntatis legislatoris, sed ipsomet imperio; imperium nisi legislator attenuet, obligatio sub culpa legem sequitur. Et illud quidem attenuare legislator potest qui est conscius fori interni—quem ad modum legislatores Institutorum religiosorum—; inscius tamen non potest hoc excludere, cum nihil volitum quin praecognitum.

4. Civium persuasio, quantumcumque communis, non 385

1 «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi a Deo... Itaque qui resistit potestati. Dei ordinationi resistit... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam» (Rom. 13, 1 ss.). Unde Congr. de Prop. Fide rescripsit (23 iun. 1830): «Christianos teneri ad observantiam civilium legum, etiamsi istae fuerint a principibus infidelibus nullus est

attenuat legis efficaciam : lex urget absque consensu populi neque propterea urgere desinit, etiam ob communem contrariam consuetudinem, sine legislatoris conniventia; urget igitur ad actum in conscientia donec communi aestimationi legislator ipse condescendat. Neque communis praxis subditorum solidum praebet argumentum: maior etenim pars communitatis, cui datur lex, proculdubio est imperfectorum, qui propterea non moventur ad actus virtuosos ob actuum honestatem sed ob poenae timorem; praecipue dum agitur de actibus ordinatis in bonum alienum, et maxime de ordinatis in communitatis ipsius profectum, quam sponte cives cogitamus subiectum officiorum potius quam iurium.

5. Ex iniqua, quae invocatur, legum multitudine hoc unum sequitur, quasdam e modernis legibus esse iniustas nec ideo per se obligare in foro interno; si autem non obligant, is cui pecuniaria, v. gr. multa forte imponitur ob legis transgressionem, ius habet ut occulte, pro posse, se compenset. Si lex, e contra, iusta, eius quoque transgressio interdum a culpabilitate morali vacat ob epikeiam (402 ss.); immo et ab omni culpa, tum propter extrinsecum grave incommodum quod importaret eius observantia, tum propter ipsius legis communem desuetudinem, legislatori notam et tacite probatam.

386 Quoad praxim, denique, Beniamini. Haec, quod universalis sit—ubi praeceptum absit sive caritatis sive iustitiae commutativae—, ab omnibus Doctoribus, benignissimis quoque, reprobatur. Ceterum vel ipsae leges quae positivo modo excludunt culpam—quales sunt leges Institutorum religiosorum—non semper, ad sententiam communem, sine culpa de facto violantur, ob motivum puta impatientiae, intemperantiae, acediae, etc.; ideoque quod Beniaminus, pro libitu et sine scrupulo, quasve leges civiles transgrediatur..., nemo unquam theologorum approbaret.

A lii casus.

C. II.— A Sergio confessario absolutionem petunt duo paenitentes, Marius et Protus. Marius inter alia peccata confitetur se praepositum officio taxationum fefellisse, nihil denunciando ex propriis redditibus, ex quibus praevideret exitum summae duorum vel trium milionum libellarum Italicarum. Protus vero candide inter alia confitetur se ex commercio clandestino (contrabbando) vivere, ex quo optima emolumenta trahit. Confessarius monet paenitentes pro ceteris peccatis, non vero pro his delictis, quia supponit ibi agi de legibus mere poenalibus, quas vocant, minime in conscientia obligantibus.

Sol.— Uterque paenitens, quia se accusat de defraudatis tributis—directis in primo casu, indirectis in altero—, eorum saltem suspicatur obligationem; ideo silentium confessarii aequipollet approbationi defraudationis tributorum. Debuit igitur Sergius primo inquirere de mediis quibus Marius fefellit taxarum exactores et Protus vacat clandestino commercio: vix enim est possibile ut ille totam suam celaverit substantiam absque exactorum corruptione et hic ex clandestino commercio vitam gerat quin exactores interdum aut corrumpat aut vi a tributis exigendis impediatur; quibus certo in adiunctis tenebatur ipsis restitutionis onus imponere x.

1 «Corrumpentes tributorum exactores, ne hi tributa exigant quae vere fisco debentur, obligationem certo incurrunt restitutionis: exactores enim ex contractu vel quasi contractu tenentur iusta tributa exigere; ideoque eos corrumpere, est cooperari ad strictam iniustitiam... Violenter resistentes custodibus vectigalium, dum ius et officium suum exercent, tenentur pariter reparare omnia damna ex illa violentia secuta, tum erga fiscum tum erga ipsos custodes: equidem, etiam dato quod fiscus ius strictum non habeat in tributum, habet certo ius strictum ad occupandum tributum iuste impositum, hoc est, habet ius strictum exigendi per custodes ut tributum solvatur; quare impediens vi occupationem tributi strictam faciunt iniuriam et contra fiscum et contra personam occupantem tributum» (Fañani, *Th. Mor.*, II, 325).

Sed etiamsi ad haec iniusta media non recurrerint, ipsos Sergius monere debuit de proposito, pro absolute necessario, mores in posterum reformandi: Marium, nempe, quod, cum non omnia tributa sint iniusta, tenetur ipse, prout et ceteri cives, subvenire necessitatibus Status, a quo tot comoda vel ipse percipit—v. gr. pacificam possessionem bonorum externorum—; Protum, quoque, quod illa sua professio est valde periculosa tum corpori tum animae, et quod mercium clandestina evectioe damnum affert reipublicae, non modo quod tributa defraudat, sed quod nocet industriae national! et patriae independentiae.

388 C. III.—Ferdinandus defraudat, pro posse, Statum sive mittens litteras sive utens reda publica tesseris iam adhibitis sed industria reffectis; existimat namque hoc tributum Statui debitum inter leges poenales recensendum.

Sol.—Errat atque peccat Ferdinandus, nam Statui qui negotiationem exercet vehendi litteras, merces, personas, iustum pretium ex iustitia commutativa debetur. Iustum, inquam, pretium; non illud quod ultra petat propter monopolium, uti in vendendo tabacco, etc., facere solet: istud enim tamquam tributum solvendum est. Sic Vermeersch h

389 C. IV.—Hermogenes, iuvenis, cum in proximo sit ut militiae legi subdatur, a confessario petit num conscriptionis lex obliget in conscientia et utrum sibi liceat ab ea se eximere et ad quid non exemptus teneatur.

Sol.—Militia est tributum speciale, a quibusdam personale dictum, sanguinis ab aliis. Et militiae quidem legem iustam plures asserunt obligare tantum ad poenam; alii, obligare insuper ad culpam, ex legali iustitia, pietate et oboedientia; meo iudicio, obligat ex iustitia commutativa. Sed conscriptioni subditus potest se eximere mediis licitis, puta

1 Vermeersch, l. c., II, 568, ed. 1928.

emigrando e territorio national!, ieiunando (absque corporis tamen nocumento) ne idoneus inveniatur. Non exemptus:]^o) Si conscriptio est partialis, tenetur sortis periculum subire atque tenetur, probabilius, compensare damna quae ex dolosa sua subtractione alius determinatus civis cogitur sustinere; a fortiori, si magistratus vel medicos corruperit ut ipsum inhabilem declarent. 2.^o) Si conscriptio sit universalis, qui mendaciis vel fraudibus utitur ne declaretur habilis, non tenetur ad restitutionem, nisi, probabilius, medicos vel magistratus corrumpens liber evaserit, atque isti, quibuscum cooperatus est ad ipsorum officii inobservantiam, Statui de facto non restituant.

VII. LEX CIVILIS INIUSTA

Doctrina.

Sicut ex divina voluntate—instituente distinctionem ordinemque rerum—procedit ut in naturalibus superiora moveant inferiora ad suas actiones per excellentiam virtutis physicae eis collatae divinitus, sic ex divina voluntate—instituente distinctionem ordinemque hominum, quos naturaliter fecit sociabiles—est ut in humanis superiores moveant inferiores per excellentiam virtutis moralis id est auctoritatis: multi enim per se ad multa intendunt, neque propterea multi cives ad unum commune bonum nisi per unum civitatis praesidem moventur. Sic autem moveri est oboedire. Prout igitur in naturalibus agerent contra divinam voluntatem res inferiores quae resisterent superiorum motioni, ita peccaret coram Deo homo qui detrectaret oboedientiam homini principi.

Verum homines constituti sunt a Deo motores secundarii, Ipse cum remaneat semper primus atque supremus motor;

constituti sunt insuper motores quoad determinata tum individua tum negotia. Ideo nemo tenetur oboedire superiori nisi proprio et quidem quoad illos dumtaxat actus in quibus hic est competens. Per se igitur loquendo, non tenemur oboedire superiori nisi legitimo, neque superiori legitimo nisi intra terminos propriae competentiae (cf. 415).

391 Princeps ergo civilis propriam excedit competentiam, non modo cum fert legem legi divinae—naturali aut positivae—adversam, sed tunc insuper cum sibi usurpat lege regulanda quae ad unam pertinent auctoritatem ecclesiasticam; denique quoties legem fert non in bonum commune sed in commodum particulare—sui ipsius, familiae, politicae factionis—, et cum onera distribuit inter subditos absque debita proportione—ad cuiusque facultatem et locum.

Et si quidem interdum, ad vitanda maiora mala, privata vel communia, per accidens igitur, oporteat vel civili principi oboedire qui aut principatum usurpatum habet—tyranno, prout veteres loquebantur, usurpatione—aut fines praetergrediatur competentiae—tyranno regimine—, hoc est tamen prae oculis habendum quod ibi saltem ubi divinae legi, naturali aut positivae, lex civilis contraria sit, huic obsequiosus non excusaretur a peccato, nam «oboedire oportet Deo, magis quam hominibus» (Act., 5, 29).

Casus pri us.

392 In aliqua regione lata est lex qua omnes debiles mentales sterilizentur. In his Augustus, cuius pater attamen medicos pretio emit ut filium ab illa debilitate alienum dicant.

Quid de hac ratione agendi?

Solutio

De hac imprimis lege Pius XI: «Publici magistratus in 393
 subditorum membra directam potestatem habent nullam;
 ipsam igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit
 culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere
 et attingere nec eugenicis nec ullis aliis de causis possunt
 unquam. Idem docet S. Thomas Aquinas, cum, inquirens num
 humani iudices ad futura mala praecavenda hominem possint
 malo quodam plectere, id quidem concedit quod ad quaedam
 alia mala, sed iure meritoque negat quod ad corporis laesio-
 nem: *Numquam secundum humanum iudicium aliquis debet
 puniri, sine culpa, poena flagelli, ut occidatur, vel mutiletur
 vel verberetur* h Ceterum, quod ipsi privati homines in sui
 corporis membra dominatum alium non habeant, quam qui
 ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere
 aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos
 reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri
 nequeat, id Christiana doctrina statuit atque ex ipso huma-
 nae rationis lumine omnino constat» 2.

Ad praesens tamen non quaeritur de Augusto, quid scili- 394
 cet ei faciendum sit aut agere liceat; nec quaeritur de me-
 dicis sive exsequentibus sterilizationem sive testantibus de-
 bilitatem abesse quam adesse noverunt. Quaeritur dumtaxat
 an liceat patri Augusti pretio medicos emere qui declarent
 filium alienum a debilitate quam lex civilis subicit sterili-
 zationi.

Et casus quidem considerari potest obiective aut secun-
 dum erroneam potius conscientiam sive patris sive medico-
 rum; in prima hypothesis, tum pater tum medici legem no-

» S. Thomas, *Summa Theoi.*, IMI, 10S, 4. 2m.

» Pius XI. enc. *Casti Connubii* (Denz.. 2246).

runt iniustam; in altero, pars alterutra aut utraque legem iustam existimat.

Porro legem iniustam, quam legislator nempe iniuste fert, index iniuste applicat et medici iniuste exsequerentur. Ergo licet Augusti patri filium ab iniusta vexatione redimere; mediis attamen licitis, cum non sint facienda mala ut eveniant bona. Sed emptio medicorum potest dupliciter intellegi: instar *concessionis* pecuniae quam hi petunt ad falsam declarationem iam parati, et instar *oblationis* pecuniae quae medicis proponitur ut ad falsam declarationem adducantur.

395 Si lex recte aestimatur iniusta a patre et medicis, ille potest pecuniam medicis concedere quam pro falsa declaratione postulant, hanc parati conficere sive mentali restrictione sive mendacio—sic licet et pecuniam dare latroni mortem, nisi pecunia detur, minitanti—; potest et pecuniam offerre medicis pro mentali, quam eis consulit, restrictionem; potest et pecuniam offerre medicis pro declarationem favorabili filio, quam possibilem novit absque mendacio, eam quantumvis praevideat medicos laturos esse mentientes—sic licet iuramentum petere a pagano, iuraturum per falsos deos—; posset quinimmo, iuxta plures, pecuniam medicis offerre pro dicendo mendacio, consulens nempe malum morale minus ad vitandum malum morale maius et reddens oblatione pecuniae consilium huiusmodi efficacius. Si lex recte aestimatur iniusta a patre, iusta, quamvis erronee, a medicis, ea omnia licent patri quae in prima hypothesis licebant, cum medici sint vexatores iniusti, quantumvis materialiter.

Si lex, contra, aestimatur, licet erronee, iusta a patre atque a medicis eaque obligatoria in foro conscientiae, quippe quae lata sit ad avertendum (ut ipsi putant) civium periculum commune, pater nequit offerre, immo neque concedere medicis pecuniam vel pro mentali restrictione: nam corrumpet ministros iustitiae aut his cooperaretur in civitatis, aestimatum, damnum. Quod si lex, denique, aestimetur, licet erronee,

iusta a patre, iniusta et quidem recte a medicis, nefas est patri quod nefas modo diximus: provocaret etenim, ob erroneam conscientiam, ad id quod aestimat peccatum aut adjuvaret eos quos indicat peccantes.

Alii casus.

C. II.— Ad Leonardum, iudicem catholicum, duo coniuges 396
hebraei recurrunt pro obtinendo divortio lege civili agnito. Licetne Leonardo sententiam divortii ferre, sciens illorum matrimonium fuisse iure naturae atque civili validum?

Sol.— Quoniam civilis lex est iniqua si divortium admittat seu agnoscat, iudex non potest propterea se excusare quod sententia sua ipse mere declarat casum contentum esse in lege; iudicis sententia non est mera declaratio legis—instar interpretationis doctrinalis—, verum est applicatio legis ad casum, quapropter iudex est concausa, instar exsecutoris, legis iniquae. L hanc igitur legem iudex approbare nequit sua sententia—eius cooperatio foret formalis—. At civilis divortii pronuntiatio, etiam dum agitur matrimonium indubie validum, non est actus malus intrinsece¹ Potest quoque contineri intra fines cooperationis materialis atque mediatae; iudicis sententia non afficit vinculum obiective—quippe quod solvi nequit—, nec necessario ex propria intentione

1 «Per ogni sentenza vale il principio che il giudice non può puramente e semplicemente respingere da sé la responsabilità della sua decisione, per farla ricadere tutta sulla legge e sui suoi autori. Certamente sono questi i principali responsabili degli effetti della legge medesima. Ma il giudice, che con la sua sentenza l'applica al caso particolare, è concausa, e quindi corresponsabile di quelli effetti» (Pius XII, 6 nov. 1949; AAS 41, 1949, p. 602).

3 «Suo modo loquendi (Pius XII) supponere videtur licitum esse pronuntiare sententiam divortii in certis adiunctis, simulque admonet motiva esse debere magni momenti» (Abellan, *De sententia fundata in lege iniusta*, in *Periodica* 39, 1950, p. 21).

«Ratio autem quare actus non sit intrinsece malus, a S. Pontifice non designatur... Eas invenire est officium theologorum» (Vlaming-Bexder, *Praelectiones iuris matrimonialis*, 1950, p. 558).

—capax enim est index qui intendat unam destructionem civilium effectum matrimonii \ non solutionem vinculi—, et possunt esse motiva proportionate gravia ut licite permittat pravae sententiae effectus, sive intentos a petentibus divortium—utputa, novas nuptias—, sive imminentes aliis—v. gr. scandalum 2.

397 C. III.— Ad eundem Leonardum causa divortii fertur pendens inter baptizatum acatholicum et infidelem. Quid quoad sententiam?

Sol.— Iudex civilis, quod ad divortium partis baptizatae, etsi acatholicae, ab infideli est simpliciter incompetens. In

1 «Iudex est instrumentum legislatoris legis, sed instrumentum intellectuale; et sententia est actus intellectus. Iudex potest casui concreto applicare totam legem et legem applicare ex parte sola, e. gr. in quantum ius divinum id permittit. Si *simpliciter* agens applicat legem divortii, sententia natura sua est legi plene conformis et eiusdem speciei moralis. Si lex sit intrinsece mala, etiam sententia est intrinsece mala. Sed iudex, proprie quia causa instrumentalis intellectualis, potest etiam *non simpliciter* applicare legem, sed distinguere inter effectus et effectus (ad quos lex tendit). Sententia, quam post distinctionem factam et cui deinde conformem reddit suam voluntatem (suam intensionem in agendo) fert est actus qui natura sua tantummodo tollit effectus civiles, et non tollit effectus naturales. Quare vi sententiae non tollitur vinculum, etiamsi hoc esset possibile, neque tolluntur obligationes naturales inseparabiliter ex vinculo profluentes, ut obligatio reddendi debitum, instituendi vitae consortium. Vi sententiae tollitur possibilitas sustinendi haec iura et obligationes in foro civili» (Vlaming-Bender, l. c., p. 560).

3 «In particolare, il giudice cattolico non potrà pronunziare, se non per motivi di grande momento, una sentenza di divorzio civile (ov'esso vige) per un matrimonio valido dinanzi a Dio ed alla Chiesa. Egli non deve dimenticare che tale sentenza praticamente non viene a toccare soltanto gli effetti civili, ma in realtà conduce piuttosto a far considerare erroneamente il vincolo attuale come rotto e il nuovo come valido e obbligante» (Pius XII, l. c., p. 603).

Causa proportionata certe commune bonum: interest enim boni publici habere honestos iudices, nam cederet in grave damnum publicum si omnes iudices timoratae conscientiae officio cederent. Sed et potest esse proportionata causa ipsum bonum privatum, puta innocentis coniugis vel filiorum, his si immineat perversionis periculum, et ideo malum superioris ordinis (Abellan, l. c., p. 32).

quibusdam tamen nationibus Ecclesia permittit sive tolerat ut causas matrimoniales cognoscant ac definiant civiles iudices, ea tamen condicione ut nihil agatur iuri naturali, divino vel canonico repugnans. Tunc igitur, ubi legitimae et canonicae adsint causae pro declaratione nullitatis matrimonii, iudex civilis—etiamsi catholicus, nisi peculiari lege prohibeatur—, potest matrimonium declarare nullum; consequenter quidem ad sententiam nullitatis latam in foro ecclesiastico et, per accidens, independenter ab hac sententia ob rationes gravissimas boni publici, semoto etiam scandalo. Si hae causae pro divortio desint, iudices civiles non possunt divortium pronuntiare. Possunt tamen, ob motiva magni momenti et sine scandalo sententiam ferre quoad effectus mere civiles matrimonii, hos nempe destruentes et ideo dantes impunitatem ulteriores nuptias attentantibus.

C. IV.— Fulvius, ad\Ocatu catholicus, a confessario petit 398 num sibi liceat causam accipere divortii quando neuter coniux est baptizatus.

Sol.— Fulvius: *a)* potest causam accipere ut perpendat num matrimonium ab infidelibus initum fuerit validum necne; *b)* et quoniam nomine partis agit, id ipsi est licitum quod et parti, ideoque potest petere declarationem nullitatis si matrimonium detegerit nullum, adducere rationes pro nullitate militantes illud si invenerit probabiliter invalidum, defendere matrimonii vinculum ubi de matrimonii validitate sibi constiterit. Utrum in hoc postremo casu possit patrocini-um sumere partis quae postulat divortium? Non potest, ut liquet, id agere quasi approbaret legem iniustam; posset at tamen unam intendens cessationem effectuum mere civilium, at motivum gravius petitur pro eius quam pro iudicis cooperatione, si, aliter atque iudex. advocatus libere munus expleat b

» «Si sententia divortii a coniuge licite petatur, sive quia matri-

399 C. V.— Idem Fulvius quaerit praeterea quid sibi liceat si de divortio agitur inter comugem acatholicum baptizatum et coniugem infidelem.

Sol.— Fulvio licebit matrimonialem illam causam defendere in foro civili—nisi peculiare vetitum obstet—, non sic equidem ut agnoscat fori competentiam, sed ita tamen ut: *a)* promoveat declarationem nullitatis matrimonii certo invalidi; *b)* propugnet vinculum matrimonii certo validi; *c)* exponat argumenta in favorem nullitatis coniugii de cuius valore dubitatur; *d)* disserat, ob motiva magni momenti et sine scandalo, pro destructione effectuum mere civilium et ideo impunitate quoad attentantes posteriores nuptias ubi de coniugii validitate dubitari nequit. Motivum autem pro advocatis gravius petitur quam pro iudicibus, quoties ipsi libere possunt declinare partis patrocinium; si id tamen suscipere coguntur, v. gr. lege Status vel Collegii statutis, par motivum sufficit.

400 C. VI.— Severianus, parochus, conventus est a laico coram iudice civili, non obstante privilegio canonis. Dubitat autem utrum teneatur, saltem licite possit, ante civilem iudicem comparere.

monium constat esse invalidum, sive quia datur ratio gravissima et exceptionalis qua cohonestatur petitio, advocatus patrocinari potest causam. Semper tamen urget obligatio vitandi scandalum, si, saltem in casu concreto, periculum habeatur» (Vlaming-Bender, *l. c.*; p. 562). Jam pridem Merkelbach (*Th. Mor.*, HI, 977, ed. 3): «Non vero excusatur cooperatio advocati qui libere suscipit causam divortii illicite introductam. nam mala quae ex divortio civili sequi diximus non compensantur pecunia quam advocatus posset lucrari». Et Prummer (*Th. Mor.*, HI, 894, ed. 1928): «Rarius adest sufficiens causa necessitans pro avvocato quam pro iudice. Nam advocatus non vi officii, sed libere causam divortii suscipere solet. Nihilominus potest accidere ut etiam pro avvocato existat sufficiens causa petendi divortium clientis sui, praesertim si iam obtentum est divortium imperfectum in tribunali ecclesiastico». Ideo, quotiescumque sit coniugi innocenti ius petendi divortium imperfectum sive separationem et haec non agnoscatur civili lege licebit avvocato pro divortio pleno disserere, cauto tamen quod divortium petatur ad legitimandam separationem, absque animo transvolandi ad alias nuptias.

Sol.— Si privilegium fori abolitum non fuerit in regione, puta vi Concordati, Severianus exstat exemptus a iurisdictione civilis iudicis, ideoque nisi venia praecesserit Ordinarii loci, comparere, per se loquendo, non tenetur. Per accidens attamen, ad vitanda maiora mala, comparere licite potest, forsitan atque debet, certiore facto loci Ordinario a quo venia obtenta non fuit; constat ex can. 120, § 3.

C. VII.— Cum tam graviter tributis oneretur ut vita reddatur impossibilis, Isidorus, agricola, a confessario petit num teneatur tributa solvere et, quatenus negative, num pro iis quorum solutionem vitare nequit liceat sibi occulte compensare.

Sol.— Si illa tributa revera iniusta sint, aut quoniam expensae quibus destinantur sunt civitati vel noxiae vel inutiles, aut quoniam non proportionaliter imponuntur ad cuiusque civis facultatem, tunc Isidorus non tenetur, per se, tributa haec solvere. Tenebitur per accidens, ad evitanda maiora mala, puta multam vel expropriationem vel carcerem; et tunc quidem licet ipsi se occulte compensare, mediis aliunde licitis.

VIII. EPIKEIA

Doctrina.

Epikēia ut virtus est subiectiva pars iustitiae communiter sumptae inclinans subditum ut agat ad legislatoris intentionem ubi deficit, propter eius universalitatem, littera legis. Ut actus vero dicit interpretationem, exercitam potius quam signatam, benignae legislatoris intentionis qua non comprehendit ipse hunc specialem casum in lege universalis k

› Dum impotentia est causa quae iustificat usum epikelae, ipsa epl-

Epikēia distinguitur late dicta, quae a nonnullis extenditur ad interpretationem ipsius legis—in extraordinariis videlicet adiunctis—, ab aliis limitatur ad interpretationem intentionis legislatoris—casum hunc specialem non valentis comprehendere sub lege—; epikēia vero stricte sumpta, dum pro aliis interpretatur intentionem legislatoris omnem, pro ceteris dumtaxat intentionem quam legislator habuit benignam k

403 Epikēia quae legislatoris mentem interpretatur differt ab aequitate naturali, quae rigorem legis scriptae mitigat ex principiis legis naturalis aut ex postulatis caritatis, amicitiae, benignitatis, seu virtutum aliarum a iustitia legali; sic corrigens vel ius scriptum dum superior id applicat reo vel ius strictum dum creditor id debitori applicat. Differt quoque ab aequitate canonica, ab illo nempe spiritu benignitatis qui legislationem ecclesiasticam informat quique propterea regulare debet applicationem legum ecclesiasticarum ad casus in concreto, v. gr. can. 2214 2.

Cum haec aequitas canonica in ipso Codice (can. 20) norma praedicetur, ipsamet elementum iuridicum venire satis liquet. Sed vel aequitas naturalis, ex potiori iure cum pro-

keia est virtus vel habitus disponens ad recte iudicandum de validitate seu sufficientia causae.

1 Epikēia, per quam iudicatur aliquem casum particularem non comprehendi in lege, differt: a) a relaxatione legis seu exemptione a lege, quae secus obligaret; b) a licentia, qua lex non dispensatur, sed potius adimpletur: licentia enim proprie importat consensum ipsius superioris competentis, sub quo consensu lex ipsa aliquid agere concedit; ita e. g. quando superior regularis suis subditis concedit aliquam expensam facere, non dispensat in voto paupertatis, sed licentiam dat seu ponit condicionem sine qua lex non permittit illa fieri; et c) ab abrogatione et derogatione, per quas tota lex aut pars legis aboletur, non pro uno aut altero, sed pro omnibus (Fanfani, *Th. Mor.*, I, 174).

3 «A lege tamen civili hodierna aegre admittitur epikēia, nisi in casu quo evidenter noceret directe bono communi: restringit scii, legislator eam ad minimum possibile, et iudicat melius esse servare legem, etiamsi sit onerosa uni vel alteri, propter exemplum aliorum» (Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 297, ed. 3).

cedat. Epikeia, ex adverso, dicit elementum morale potius quam iuridicum; ideo subditum magis in foro interno patrocinatur quam in externo. Hinc quod recte quidem agat praeses reipublicae dum, ob bonum commune, Constitutionem quoque suspendit; nec propterea immunis sit a poena quandiu bonum reipublicae suspensionem illam exegisse non demonstret.

Et epikeia quidem locum obtinet quando ratio sive finis legis cessat contrarie, ita videlicet ut observatio litterae legis adversetur ipsi fini propter quem lex lata. Non tamen locum obtinet ubi finis sive ratio legis cesset dumtaxat negative, cum videlicet finis eius non attingitur quidem observatione litterae legis sed ex huiusmodi observatione nihil mali oritur; sic fornicatio manet vetita vel in casu quo provideretur abundanter proli fornicariae.

Ratio seu finis legis cessat contrarie cum observantia litterae legis communi bono est noxia aut est impeditiva eius quod est melius communitati; ibi tenetur subditus agere contra verba legis; contra quae hic agere, quantumvis sibi liceat, non tenetur. Ad plurimum insuper sententiam, finis legis cessat quoque contrarie cum lex imponit onus gravius quam commune bonum requirat, aut gravius quam benignitas legislatoris soleat imponere.

Iuris periti disputant num usus epikeiae permissus sit in legibus inhabilitantibus et irritantibus.

In aliis autem legibus dum agnoscunt omnes usum licitum, plures non urgent recursum ad superiorem ubi litterae ad finem legis adest manifesta contrarietas; immo, quoties periculum sit in mora, dum contrarietas constat probabilius, etsi non certo—adesset causa excusans—. Alii, contra, hanc causam dicunt iustam pro dispensatione et ideo non permittunt epikeiae usum superiore inconsulto si periculum in mora nullum, vel quoniam contemnitur superior, maxime cum

timetur unum damnum privatum—nam habenti curam totius ius est et officium determinandi quantum sit subtrahendum de bono partis pro communi bono—, vel quoniam facilis est hallucinatio in causa propria—hinc, «plerumque quo indociores et imperitiores sunt homines, eo audacius adhibent epikeiam» h

Hanc dixeris legislatoris mentem, dispensandi concedens facultatem superioribus subalternis et immediatis pro casibus frequentioribus (v. gr. can. 1245), qui moram ad ipsum recurrendi non patiuntur.

Casus primus.

406 Raymundus, Almae Urbis civis atque non solum Actioni Catholicae verum etiam sportivis, quae vocantur, exercitiis addictissimus, tempore hiberno singulis sabbatis vel etiam die Dominica summo mane montem vulgo *Gran Sasso d'Italia* petere solebat, ut ibi cum sciis, qui dicuntur cursus, luderet; hinc Missam persaepe non audivit. Insuper, ut matris moribundae benedictionem reciperet, die festo de praecepto diuturnum iter perfecit, ita ut Missae non adstiterit. Apud parochum suum sese excusat dicendo piam matrem Ecclesiam legum suarum observantiam non tanta severitate a filiis suis exigere.

An et quali epikeia legitima Raymundus usus sit, et quid parochus ei opportune respondeat.

Solutio

407 Quoad casum quidem alterum, de omissione missae in die festo de praecepto propter diuturnum iter ad moribundae matris benedictionem recipiendam, Raymundus legiti-

1 Prümmer, *Th. Mor.*, I, 231, ed. 1931.

ma est usus epikeia, stricta aut iata pro notione diversa: legislator enim ecclesiasticus, hunc casum etsi expresse non eximat a lege de sanctificatione festorum, idipsum attamen comprehendere non valuit—cum officium pietatis naturalis vincat officia humanae legis— aut, minimum, non voluit—filialis pietatis magni faciens novissimos honores.

In primo tamen casu, quoad omissionem Missae ob ascensum ad montes, Raymundus epikeia est abusus. Permitti quidem posset per hebdomadam laboranti in officina vel fabrica insalubri ut semel aut iterum per annum, recreationis causa, abeat a civitate dominicale sacrum omittens; at quod singulis sabbatis sero vel dominicis summo mane, etiamsi hiberno dumtaxat tempore, id fideles faciant, nemo vel illi opifici concedit. Permittere possemus Raymundo nostro ut confugiat ad montes missam omittens semel, forsitan et iterum, ubi ageretur de concursu publico seu contentioso, ne praemio privaretur seu corona repromissa ludentibus; sed vel tunc oporteret condicionem eius, quatenus membri Actionis Catholicae, prospicere, ne qui nomen dedit apostolati sit aliis in scandalum.

Parochus ergo opportune Raymundo exponat Ecclesiam 408 quidem esse matrem piam, et ideo admittere epikeiam; sed epikeiae usum moderandum, ad proportionatam causam scilicet. Membrum quoque Actionis Catholicae pleniore praeter ceteris docilitate adstringi ad leges ecclesiasticas atque doctrinam theologorum. Immo, quoniam specialiter subditus Hierarchiae, ostendat ipse erga Hierarchiam potiore obobedientiam. Si enim pro casibus in quibus excusationes veniunt frequentes, pia mater Ecclesia ipsos vel parochos ditavit dispensationis facultate, adeat parochum quando missam dominicalem habeat omittendam ab eoque postulet dispensationem a sacro audiendo, et impetratam dispensationem declaret sociis sportivis, quos propterea aedificet, quibus saltem nullum praebeat scandalum.

Alii casus.

409 C. II.—Troianus, sacerdos, per totum diem laboravit in confessionali aut in pulpito, ita ut non potuerit recitare Breviarium, et nunc vespere hora XI est valde fatigatus; potestne adhibere epikeiam, mentem interpretatus legislatoris quasi nolentis exigere recitationem Breviarii post tantam defatigationem?

Sol.—Prümmer respondet: Affirmative, si episcopus vel superior regularis, habens dispensandi facultatem, facile adiri nequeat pro obtinenda dispensatione; negative, si facile adiri queat¹.

410 C. III.—Cum ob fluidi electrici restrictiones magna societas industrialis cogatur per diem sabbati abstinere a labore, simulque tamen solvere plenum hebdomadae salarium operariis per sabbatum otiosis, societatis praeses sciscitatur a theologo num liceat sibi, in aequam compensationem expensarum, addicere operarios ad laborem horis nocturnis sabbati usque ad horam sextam matutinam dominicae.

Sol.—Si praeses huiusce societatis nequeat aliter expensas compensare—v. gr. pretium adaugens mercium, operarios adigens ad laborem per horam extraordinariam ceteris diebus—, si restrictio illa fluidi non semel aut iterum contingat—alias non facile constaret vel ipsis operariis de notabili detrimento—, adest quidem necessitatis privatae sufficiens ratio. Porro ubi ratio haec sit manifesta, plures concedunt praesidi usum epikeiae; tametsi consulant ut postulet declarationem confessarii, ob periculum hallucinationis, immo, cum agitur de casu publico, licentiam parochi—vel episcopi, pro operariis plurium paroeciarum—. Alii, contra, ipsum vel operarios obligant ut pro dispensatione ad episcopum vel parochum recurrant.

¹ Prümmer, *l. c.*, I, 233.

c. IV.— Cum lex ieiunii lata sit ad superbiam carnis de- 411
bellandam, Hieronymus a lege se liberum ideo reputat quod
iam habet carnem plene subditam.

Sol.— Etsi in casu cessaret ratio seu finis legis, nihil mali
consequitur si vel Hieronymus ieiunium servat. Non est igitur
locus epikeiae.

C. V.— Quoniam lectio cuiusdam libri fuit vetita ab Ec-
clesia quod, ex professo propugnans haeresim, periculosus
veniat fidelibus, Lucius existimat se posse librum legere cum
in fide sit omnino firmus.

Sol.— Etsi nullum sit periculum pro Lucio, manet pericu-
lum commune, fundamentum legis, neque propterea cessat
lex. Ideo in Codice I. C.: «Leges latae ad praecavendum pe-
riculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari pericu-
lum non adsit» (can. 21).

C. VI.— Pater Antoninus, O. P. alumnus, benigniorem 412
amplexus de epikeiae praxi sententiam, se dispensat a Cons-
tutionibus Ordinis quoties causa intercedit iusta et ratio-
nabilis.

Sol.— Quicumque valor sit illius sententiae, religiosus O.
P. prae oculis semper habeat Constitutionum hac de re praes-
criptum: «Nemo, etiam Superior—quando sibi non licet cum
aliis dispensare—, seipsum eximat ab obligatione cuiuspiam
legis, etiam subsistente iusta et rationabili causa, sed ad
Superiores pro dispensatione recurrat» (*Const. O. P.*, n. 72).

C. VII.— Licetne epikeiam adhibere in impedimentis ma- 413
trimonii, hoc declarando validum quod in magnis angustiis
fuerit initum cum impedimento dirimente?

Sol.— Probabilius negative, inquit Billuart, propter gravia
inconvenientia quae contra bonum publicum inde nasceren-
tur et quae praevalent malo quantumvis gravi alicuius par-
ticularis Unde Prümmer: «Quae autem nonnulli auctores

› Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de legibus, dlss. 5. a. 4.

congerunt ad probandam liceitatem epikeiae etiam in legibus irritantibus et notanter in impedimentis dirimentibus matrimonii, unice probant in magnis angustiis posse coniuges relinqui in bona fide, etiamsi matrimonium est invalidum propter impedimentum dirimens; aut episcopum eiusve delegatum habere tunc dispensandi facultatem. Quod sane verissimum est et extra dubium positum, cum vel ipsa S. Paenitentiaria non semel responderit putativos coniuges posse relinqui in bona fide. Signum autem haud obscurum quod etiam isti auctores non multum fidunt sua ipsorum sententia, in hoc perspici licet quia et ipsi praescribunt tale matrimonium cum impedimento dirimente initum ex epikeia adhibita quantocius esse convalidandum mediante dispensatione Pontificia» x.

IX. PRAECEPTA

Doctrina.

414 Classicam aemulantibus D. Thomae definitionem legis praeceptum² est: ordinatio rationis in bonum privatum ab eo qui auctoritatem habet, intimata. Nam, pariter ac lex, praeceptum non consilium, non adhortationem nominat, sed imperium quo quis ordinat eum cui imperat ad aliquid agendum vel omittendum; audit etiam intimationem, quia oportet ut motor attingat mobile, in casu mobile rationale, quapropter mediante notitia. Sed, aliter ac lex, praeceptum datur directe in commodum privatum, etiam ipsius iubentis, et ideo fertur vel personis particularibus vel communitati imperfectae quae non est capax recipiendi legem—fortasse et perfectae communitati, absque perpetuitate attamen seu ad

1 Prümmer, *l. c.*

3 Sumimus praeceptum prout distinctum a lege; licet saepius lex atque praeceptum usurpentur promiscue in communi eloquio, v. gr. cum loquimur de praeceptis Decalogi vel Ecclesiae.

tempus—; datur insuper ab eo qui auctoritatem habet, licet communitatis curam non gerat.

Possunt ergo ferre praecepta qui legifera gaudent potestate: qui potest plus potest et minus; ideo potestas ferendi praecepta continetur sub potestate ferendi leges. Insuper, qui potestatem habent iurisdictionis pro foro interno aut externo, externo, inquam, iudiciali aut extraiudiciali. Denique, qui potiuntur potestate dominativa, sive ecclesiastica—uti rectores seminariorum et superiores institutorum religiosorum—, sive non ecclesiastica—ut herus, maritus, pater—. Semper attamen intra limites cuiusvis competentiae.

Superior non est competens in iis quae sibi a superiore 415
maiore vel lege prohibentur. Sic can. 530, § 1: «Omnes religiosi superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.» In ceteris, de quibus superior maior silet vel lex, competentia mensurandi! est ex fine societatis, sic ut excedat potestatem id quod exorbitat a fine in quem quaeque societas ordinatur. Imperium etenim versatur circa media et ideo ius est praesidi ad ea quae assecutioni finis necessaria sunt vel utilia quia ei incumbit officium finem attingendi. Non habens officium attingendi alium finem caret propterea iure quod efficaciter moveat subditos ad ea quibus hic finis obtinetur. Verbis Angelici Praeceptoris: «In his quae pertinent ad dispositionem actuum et rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori oboedire secundum rationem superioritatis: sicut miles duci exercitus in his quae pertinent ad bellum; servus domino in his quae pertinent ad servilia opera exsequenda; filius patri in his quae pertinent ad disciplinam vitae et curam domesticam, et sic de aliis» ?

Pariter ac lex, praeceptum nunc obligat sub culpa, nunc 416
sub poena, nunc sub utraque denique. Sub culpa quidem

› S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 104. 5.

gravi, si materia est gravis atque intentio praecipientis efficax est graviter conscientiam onerare; sub culpa tantum levi si aut materia est levis aut intentio efficax praecipientis ultra levem obligationem non porrigitur. Intentionem loquimur efficacem, quia non raro lex cui superior quoque subicitur invalidât seu irritat praecepta a superiore lata; sic in Constitutionibus O. P. (n. 52) statuitur: «Invalida sunt praecepta formalia et ad nullam culpam aut poenam obligant: 1) Si in formula omittantur verba: *Praecipimus vel prohibemus in virtute sanctae oboedientiae*; 2) Si superior localis imponit praeceptum toti communitati sine praevio consensu Provincialis».

417 Aliter ac lex, praeceptum est personale et non territoriale, urget videlicet ubique, nisi contrarium constet; est insuper temporaneum et non perpetuum, ideoque expirat resolutio iure praecipientis, nisi vel aliud cautum fuerit, in constitutionibus, statutis, etc., vel communitati detur imperfectae. Ex Codice I. C.: «Praecepta, singulis data, eos quibus dantur, ubique urgent, sed iudicialiter urgeri nequeunt et cessant resolutio iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint» (can. 24). Ad quae Maroto: «Quare si, v. gr. Episcopus privatim dumtaxat monuerit clericum non residentem eique imposuerit praeceptum revertendi, nequit deinde illam monitionem et praeceptum invocare ad declarandam beneficii a clerico obtenti vacationem; si vero monitionem vel praeceptum authentice dedisset, poterit illam privationem declarare. Item si Superior regularis praecipiat subditum etiam in virtute sanctae oboedientiae at privatim, nequit postea inoboedientiam subditi urgere tamquam delictum ad dimissionem; sed debuisset in hunc effectum imponere tale praeceptum forma legali. Attamen ea praecepta, quae non fuerunt data formaliter sed privatim, minime dicenda sunt exercere vim suam in foro tantum interno; nam possunt ad forum exter-

num extraiudiciale pertinere; quocirca eorum transgressiones puniri etiam possunt in foro externo, per poenas tamen quae ordinem iudicarium ad earum inflictionem non requirant»

Casus primus.

Cuiusdam Piae Unionis moderator, volens sodalium spiri- 418
rituali profectui efficacius consulere, solet a singulis, post
statuta intervalla, propriae vitae rationem repositum: an, sci-
licet, orationi mentali quotidie incumbant, an conscientiam
suam discutiant, quam frequentia soleant ad paenitentiae
sacramentum accedere, et alia id genus.

At unus ex sodalibus, Ernestus, moleste id ferens, confes-
sarium interrogat utrum debeat praecepto huiusmodi simpli-
citer parere, an possit, contra, responsionem detrectare aut
in responsis a veritate deflectere.

Solutio

Agitur in casu de Pia quadam Unione. Unio autem Pia 419
non ordinatur, prout ordinantur Tertii Ordinis, ad promo-
vendam perfectiorem vitam Christianam inter sodales; nec
ordinatur, quem ad modum Confraternitates ordinantur, ad
incrementum cultus publici; ordinantur dumtaxat ad aliqua
pietatis aut caritatis opera exercenda (cf. can. 685, 702, 707).
Sic Pia Unio a Transitu S. Ioseph ideo instituta est ut fide-
libus animam agentibus spiritualia subsidia praesto sint,
in quem profecto scopum socii tenentur ad brevem oratio-
nem, vulgo iaculatoriam, quotidie recitandam, statuta tamen
associationis non obligant sub culpa 1.

1 Maroto, *Inst. I. C.*, 267. ed. 1919.

2 Cf. Vromant, *De fidei assoc.*, 24, ed. 1932.

Agitur in casu, non de Piae Unionis statutis, sed de Piae Unionis moderatore; hic enim ponitur zelo ductus sodalium perfectionis, potius quam statutorum observantiae.

420 Et agitur in casu de ratione vitae reddenda, non de conscientia manifestanda. Superiores siquidem religiosi, qui can. 530 iam citato expresse prohibentur subditos inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam, nullibi expresse vetantur quominus invigilent atque interrogent de iis de quibus noster inquit moderator (Cf. can. 595, 125). Incongrue igitur hunc damnaret qui vetitum superioribus religiosis producere, a fortiori, vellet ad eos qui moderantur Uniones Pias.

Silentibus statutis particularibus et silente lege communi, ex societatis fine oportet terminos auctoritatis repetamus. Porro meditatio, examen conscientiae, confessio frequens atque similia directe faciunt ad sodalium Christianam perfectionem, quae exulat a Piae Unionis scopo. Ita valor impetratorius orationis sodalibus Piae Unionis a Transitu S. Ioseph praescriptae non dependet ab illis, optimis quantumcumque, exercitiis. Moderatori propterea Unionis Piae nullum est ius vitae rationem postulandi.

421 Sodales igitur non tenentur officio respondendi. Ideo licet Ernesto responsionem quaesito detrectare. Si ob circumstantias attamen periculosum aestimet vel difficile a responso quolibet abstinere, fas erit illi loqui simul atque celare veritatem: aget sui defensionem contra aggressorem, formaliter aut materialiter, iniustum. Verum, quia non sunt facienda mala ut veniant bona, non omnia media defensionis licitae sunt licita. Non licet Ernesto respondenti adhibere mendacium, illicitum ex propriis; nec ipsi licet uti restrictione pure mentali, quae aequivalet mendacio. Utatur restrictione late mentali, licita in adiunctis.

Alii casus.

C. II.— Licetne uxori eleemosynas elargiri non obstante mariti prohibitione? 422

Sol.— Affirmative, ex bonis paraphernalibus sive liberis—quorum dominium et administrationem uxor habet atque fructus percipit—; immo, ad plurium Auctorum opinionem, ex aliis etiam bonis eleemosynas ordinarias sive communes—quas faciunt uxores eiusdem condicionis socialis—, has si generaliter seu omnino maritus prohibuerit, quippe qui esset rationabiliter invitus—quamvis interdum melius erit ab hac vel illa abstinere eleemosyna pro vitanda viri indignatione—. Negative, quandiu non agitur de bonis paraphernalibus, si in casu determinato vir vetuerit eleemosynam ordinariam; a fortiori vero extraordinariam, pro ea cum indigeat viri consensu.

C. III.— Maria, virgo decem et octo annos nata, ex confessarii consilio quotidie Missam audit, ad sacram Synaxim accedit, orationi mentali incumbit aliaque pietatis exercitia sedulo exercet; coetus, insuper, actionis catholicae frequentat in iisque impigre adlaborat. At huiusmodi vitae rationem parentes moleste ferunt: pater enim religionis negligens est; mater vero, futura filiae praesertim prospiciens, id nimium esse atque fanaticam sapere delirationem praedicat. Neque verbis acquiescit; nam haud raro filiam quominus domo egrediatur districte prohibet. Hinc Maria nonnumquam cogitur ad praetextus et diverticula confugere ut pietatis et apostolatus vacet operibus. 423

Sol.— Ubi agatur de bono meliore quod Deus vel Ecclesia commendat, parentes praecipere non valent huius boni omissionem, id nisi domestica officia exigant quibus debeant filii satisfacere; non ideo urget, extra casum huiusmodi, parentum prohibitio de non frequentanda ecclesia, Missa,

sacramentis, meditatione, pietatis exercitiis, coetibus actionis Catholicae, quandiu huiusmodi aliaque opera cum muneribus domesticis componi possunt. Et quoniam matris prohibitio egressus in unum, ut videtur, incidit, cum prohibitione illorum operum, Maria non tenetur oboedire quod de his agatur quae exsuperant matrisfamilias competentiam. Ut libertate igitur sua potiatur, ei licitum est ad praetextus et diverticula confugere, si haec stant pro late mentalibus restrictionibus.

- 424 C. IV.— Lucianus, sacerdos, fuit ab episcopo suo prohibitus ne vinum sumeret extra prandium. Dum peregrinatur longe a dioecesi putat se a praedicta prohibitione liberum.

Sol.— Errat Lucianus, quoniam praeceptum agitur, haerens ossibus (prout veteres loquebantur) seu afficiens personam ubicumque persona inveniatur. Sic Fanfani h

- 425 C. V.— Uno eodemque actu valet quis satisfacere pluribus praeceptis?

Sol.— Affirmative, alia nisi materia sit aut mens praecipientis. Qui enim exsequitur illum actum, ponit totum quod diversa praecepta ponendum postulant; hinc sacerdos solemmniter professus una Officii recitatione satisfacit. Si alia tamen materia sit vel alia—ex praecepti tenore, consuetudine, circumstantiis—mens praecipientis, uno eodemque actu non totum ponitur quod diversa praecepta exigunt; ideo—sicut qui debet centum ex damno illato et centum alia ex mutuo vel emptione, non satisfacit iustitiae praecepto duplici nisi bis dans centum—paenitens non implet, ut plurimum, ieiunium a confessario impositum dum servat ieiunium ab Ecclesia praeceptum.

- 426 C. VI.— Uno eodemque tempore licetne satisfacere mul-

tiplici praecepto, actibus nempe pluribus qui se mutuo compatiuntur illo tempore?

Sol.— Affirmative, nisi mens praecipientis aliud tempus respiciat. Ex quo namque diversi actus sunt compossibiles, unus non obstat alteri; totum propterea ponitur quod plura praecepta petunt; hinc sollemniter professus potest Officium recitare dum assistit missae diebus festis; qui ex voto peregrinatur potest in itinere illas preces persolvere quas confessarius pro paenitentia iniunxit; si hic iniunxerit missam audiendam et rosarium dicendum, utrumque potest simul fieri, cum ille non praesumatur intendisse tempus diversum. Si tamen mens praecipientis postulet diversitatem temporum, tunc oportet actus successive fiant qui possent ex propriis simul fieri; ideo paenitens cui impositum fuit ut bis assistat sacro, non satisfaceret simultanea auditione sacri duplicis.

INDEX AUCTORUM

*Citantur numeri marginales.
Littera n notam indicat adiectam numero.*

- Abellan, 396n, 397n.
Aertnys-Damen, 42n, 62, 67n,
79n, U01, fL30n, 131n, 163,
2S1n, 361n, 381.
Alphonsus (S-), 60, 76, 95, 97n,
109, 117n, 132n, 134n, 247,
286, 330n.
Antonelli, 107n.
Arregui, 95n.
Augustinus (S.), 13, 321.
- Ballerini-Palmieri, 370n.
Bender, 166n, v. Vlaming.
Berutti, 344n.
Billot, 336.
Billuart, 42n, 97n, 122, 130n,
131n, 233n, 240, 307n, 350,
413.
Bucceroni, 34, 158.
- Caietanus, 23, 32n, 117, 117n,
192n, 196n, 232n, 237, 264,
280, 379n.
Capellman, 107.
Cappello, 377n.
Concina, 331.
- Dall'Olio, 33.
Damen, v. Aertnys.
D'Annibale, 95n.
De Herdt, 53n.
- Fanfani, 171, 209n, 241, 253,
258n, 267, 269, 301, 314, 334,
387, 402n, 424.
Felici, 130n, 131n.
Ferrerres, 66, 91n, 106, 146,
179n, 274n, 362n, 366.
- Gasparri, 362n.
Genicot, 158, 223n, 247n, 325,
353.
- Hering, 95n.
- Innocentius XI, 24, 136, 259,
277, 279, 284, 301.
- Jone, 95n.
- Lanza, 337.
Larraga, 224, 226, 288, 290, 292.
Lehmkuhl, 98.
Leo XIII, 163n.
Le Vavas seur, 53n.
Loiano, 95n.
Lumbreras, 8, 79n, 307n, 317n,
381n.
- Marc, 45, 71n, 79n, 91n, 95n,
157, 28311, 286.
Marlaskay, 110.
Maroto, 342n, 417.
Merkelbach, 17, 25, 28, 49n,
79n, 98, 130n, 131n, 134, 138n,
217, 218n, 244n, 281n, 283n,
289, 296n, 297n, 303, 308n,
311n, 313, 398n, 403n.
- Noldin, 216n, 221, 283n, 300.
- Palmieri, v. Ballerini.
Patuzzi, 234n.
Pius V (S.), 36.
Pius XI, 325, 393.
Pius XII, 7, 8, 323, 396n, 397n.
Prümmer, 53n, 97n, 103, 108,

- 134η, 157, 210, 216η, 228, 234
252, 256, 276, 288, 304, 308η,
311η, 313η, 330η, 331, 351,
361η, 365, 398η, 405, 409, 413
Püjiula. 102η, 104, 106, 108.
- Raffaelli, 122.
Rossi, 356η.
- Salmanticenses Mor, 58, 117η
121, 130η, 217, 243, 253, 254,
207, 289, 308η, 321, 354
Schaefer, 208.
- 216η, 222η.¹⁰² 102η-¹⁰⁸. 131η.
Teodori, 91η
Ter Haar, 42
Thomson 13, 26,
27, 29, 5/η. 81. 91η, 95η, 173.
- 191η, 192η. 193η, 199, 200,
202, 222, 222η, 271η, 275, 280,
293η, 306, 316, 319, 320, 328,
330η, 332η, 375η, 393, 415.
Toso, 344η.
- Van hove, 328η, 344, 344η,
374η, 375η.
Vermeersch, 32η, 79η, 90η, 91η,
90η, 159η, 188η, 370η, 374η
375η, 381, 388.
Vidal, v. Wernz.
Victoria (de), 23, 36, 133, 163η,
164.
Vlaming-Bender, 396η, 398η.
Vromant, 419.
- M
- Wernz-Vidal, 208, 328η, 334,
344η, 370η, 374η.
Wouters, 42η, 103η.

INDEX RERUM

*Citantur numeri marginales.
Littera n notam indicat adiectam numero.*

- Abnormalitates psychosae et psychoneurosaе, 101.
Abortus ad vitandam infamiam, 167.
Absolutio, cohabitantis cum complice, 289; a reservatis, v. Reservatio.
Absolvens in mortali plures, 218, v. Absolutio.
Abstinens, ab auxilio ferendo, 123; a carnibus quas falso putabat vetitas, 181.
Accusatio, v. Confessio.
Actus, voluntatis elicitum et imperatum, 38; qui subsunt necne violentiae, 38; interni, externi, mixti, 326; qui subsint legi humanae, v. Lex humana; boni et mali, v. Moralitas; antecedentes et consequentes copulam illicitam, 225.
Adulterium, accusandum, 145 s.
Advertentia, 294-6; ad malitiam, non ad gravitatem, 296.
Advocatus catholicus quoad divortium civile, 398-9.
Aeronauta in discrimine, 129-31.
Agere, propter bonum honestum, utile, delectabile, 16-7; v. Actus.
Alienans, ex ignorantia, titulos monasterii, 85.
Amor, num sufficiat uti morum norma, 13.
 Applicatio missae pro populo, 337, ad intentionem superioris religiosi, 338.
 | Attentio, 330; in oratione et in Officio, 329-33.
Auctoritas, v. Competentia.
Avarus, 213, v. Lucri appetitus.
Baptizans in mortali plures, 218.
 | Bibens ob voluptatem, 24.
Blasphemus in plures, 219; ex habitu, 109.
Blasphemiae idea fixa, 110.
Bonitas actuum, v. Moralitas.
Bonum, ex integra causa, 14, 126.
Breviarum, v. Officii divini.
Carnium prohibitarum appositio, 1721 esus ob inadvertentiam, 92.
Causae habituales influentes in voluntarietatem et libertatem, 99, 111.
Censura, quid et quotuplex, 367-8; eius subiectum, 369 s.; episcopalis, 367-76.
Character, 100.
Circumstantia quid et quotuplex, 137; earum influxus in moralitatem actuum, 138-16; circumstantiae mutantem speciem vel aggravantes, 138, 142-4; declarandae in confessione, v. Confessio.
Clausurae, lex num admittat parvitatem materiae, 302; violatio ex metu, 61.
Clericus occisus ex inadvertentia, 96; occidens dum va-

- cat venationi clamorosae, 122.
- Coactio, 37n, v. Vis.
- Coalescentia, omissionum in Officio, detractionum et calumniarum, 312; operum servilium, comestionum in die ieiunii vel abstinentiae, 313; in fractione voti, 314; furtulorum, 307-8.
- Cogitationes pravae, 231-43; in ecclesia, 241.
- Cognoscens se male agere in confuso, 296, 305.
- Comedens ob voluptatem, 24.
- Commercium clandestinum, 387.
- Communem paschatis omittens, 210, v. Eucharistia.
- Communistas alios seducens, 185-6.
- Compensatio occulta ob tributa iniusta, 401.
- Competentia superioris, 415.
- Competitio automobilistica, 118-20.
- Complacentia in recordatione peccatorum, 263, v. Gaudium.
- Complexio corporalis, 100.
- Condiciones, quoad desideria prava, v. Desiderium prava; quoad rescripta v. Rescripta.
- Confessarius audiens minutam descriptionem peccati turpis, 263; ignorans, 75-80, 124; plures absolvens in mortali, 218.
- Confessio, desiderii furandi rem sacram, vindictae vel copulae in genere, 252; vacantis turpibus cogitationibus per diem, 236-9; eius integritas, 139-41, 179n, quoad circumstantias, 140, 223; confessionem annuam omittens, 210.
- Conflictus seu collisio, legis naturalis, 4, 8; legum et iurium, 160.
- Confraternitatis socii quoad interdictum locale, 376.
- Conscientia, quid et quotuplex norma morum, 10, 173 s.; excusans necne, 175-7; num sufficiat eam sequi, 11; eius manifestatio, 420; eius obiectio, 187; perplexa, 180.
- Consensus, 297; in delectationem rei cogitatae, 2314; vel cogitationis, 235; delectationi turpi ob fortem imaginationem vel stuprum, 43.
- Consiliorum opera, quomodo urgenda, 202, v. Imperfectiones.
- Constitutio apostolica, 355.
- Consuetudo, 99.
- Conventio clerici coram iudice civili, 400-
- Copiam corporis facere, 69.
- Copula, coniugalis ob voluptatem, 24-5, in matrimonio dubio, 84; illicita attentata et non consummata, consummata etsi non intenta, 226.
- Cordis punctio prae sepultura, 171.
- Curiosus de venereis, 241.
- Damnificatio in rebus et personis, 220-3.
- Declaratio pontificia de quarundam operationum illicite, 350.
- Decreta conciliorum plenariorum et provincialium quando urgeant, 352.
- Decretum, 355.
- Defectus proximorum inquirens et narrans, 230.
- Defensio cruenta vitae et bonorum, 169.
- Defraudatio Status quoad litteras et redam publicam, 388.
- Delectatio, v. Cogitationes pravae; operis vetiti sub conditione non vetiti, 242; sensibilis, an omnis sit prae-

- dicanda mala, 26; morosa, 231.
- Desiderium pravum, 244-57; multipliciter condicionatum homicidii, 249-51; sub conditione non vetiti, 247, si liceret, 257; eorum malitiam condiciones non auferentes, 253, auferentes, 256; dubie auferentes, 254; mali, 270-80, pro inimico Ecclesiae, 272-4, damnationis peccatoris, 275, mortis patris, coniugis, 277, mariti, filiae, 278, mortis propriae, 276; et propensiones, 248.
- Dispensatio, v. Rescripta, Epikēia.
- Distinctio peccatorum, v. Peccatorum; pollutionum et fornicationum, 224.
- Distractio inter orandum, 197.
- Divortium civile, v. Advocatus, Iudex.
- Dubius de obiecto delectationis, 2431 de consensu praestito, 240.
- Effectus, circumstantia quid, 159; duplex quoad moralitatem actus, 159-72.
- Electio mali ob bonum, 128.
- Eleemosyna ob malum finem, 155; ob finem bonum et malum, 156; cum vanagloria, 149.
- Epikēia, 402-13; quid et quotuplex, 402; et aequitas naturalis vel canonica, 403; quando habet locum, 404; eius usus, 405; quoad missam dominicalem, 406-8; quoad omissionem Officii, 409; quoad laborem in diebus festis, 410; quoad leivnia atque lectionem librorum prohibitorum, 411; quoad Constitutiones O. P., 412; quoad impedimenta matrimonii, 413.
- Equum ferocem equitans et parvulum conculcans, 121.
- Ethica, traditionalis, 1-5; situationis, 6-15.
- Eucharistiam, porrigens peccatori occulto, 168; pluribus distribuens in mortali, 219.
- Euthanasia, 170.
- Exprobratio de peccato omisso, 268.
- Famula sollicitata ab hero, 285-7; peccans cum hero frequenter, 291 aut raro, 288; vacans furtulis, 309-11.
- Famulatus periculosus, 172.
- Fervoris remissio, 197.
- Filia vacans pietatis exercitiis contra parentum vetitum, 423.
- Finis, v. Moralitas; honestus operantis, 16-26; malus totalis, 148, partialis, 149; et occasio, 151.
- Foveam fodiens ob malum finem, 154.
- Fuga per arctam viam cum periculo conculcandi parvulum, 134.
- Fur furatus plura, 215.
- Furtum, per partes, 227; rei sacrae, 145; in necessitate extrema aut gravi, 136; furtulorum coalescentia, 307-8.
- Gaudium pravum, 258-69; quid sit ac eius malitia, 258; de malo, 270-1; de modo, 258; de malo ob bonum effectum, 259; de effectu bono operis mali, 260; de detractioe, 265; de peccato materiali, 266; de periurio ob bonum effectum, 266; de bonis effectibus occisionis, pollutionis, adulterii, 267; de incarceratione malefactoris, 279; de malo inimicorum Ecclesiae, 272-4.
- Gravis materia, in voto, 303; v. Lex, Praeceptum.
- Gravitas praecepti servandi festa et infundendi aquae

- nonnullas guttulas in calicem, 301.
- Habituatus, num advertat ad malitiam actus v. gr. ad blasphemiam, 97n, 109.
- Habitus, quid et quotuplex, 99; eius retractatio, 99n.
- Haereticus, quoad censuras, 89-91; bona fide propagans errores, 185.
- Herus peccans cum famula, 288, 291-2.
- Hysteria, 102-3; et libertas, 104. Hysterica puella cui matrimonium commendatur, 105r8.
- lactantia de mortalibus, 268.
- leiunium frangens multipliciter debitum, 210.
- Ignorantia, 7085; legis naturalis, 315-25; malitiae periurii, 180; peccatorum cordis, 180; circumstantiae personae, 179; masturbationis, 179; fornicationis et suicidii, 318-20, 323; et delicta, poenae, irregularitates, 74, et reservatio, 91n, 371.
- Imperfectiones, 188-202; num sint materia confessionis, 195-8.
- Imprecationes, ad plures, 146; S. Scripturae, 275.
- Imputabilitas, 112; actionum, omissionum, earumque effectuum, 112-25.
- Inadvertentia, 86-98; ad condicionem feminarum concupitarum 97; ad condicionem propriam, 98.
- Incendens domum ex inadvertentia, 93-5.
- Incestuosus, 146.
- Iniustus multipliciter, 213.
- Innocentis traditio tyranno, 132.
- Inseminatio artificialis, 135.
- Inspirationibus non obsequens, 196.
- Integritas confessionis, v. Confessio.
- Intentio bona, an satis, 14, 128; intentionis renovatio, v. Ordinatio.
- Interdictum locale, quos afficiat, 376.
- Iudex catholicus quoad divortium civile, 396-7.
- Iudicium conscientiae, 15.
- Labor servilis in diebus festis, 141, 301, 313, 410.
- Lapidem proiciens in avem et occidens hominem, 121.
- Legens ex ignorantia librum vetitum, 83, 182.
- Lex, naturalis quoad principia atque conclusiones, 315-7; quoad valorem obiectivum, 5; quoad mutationem, conflictum seu collisionem, 4j eius ignorantia, 315-25.
- Lex humana, quoad actus internos, 326-38; eius promulgatio, 339-54; vacatio, 240; lex pontificia, 342, 351; episcopalis, 341, 353; civilis, poenalis, 379-89; conscriptionis militaris, 3891 tributorum, 387, 401; iniusta, 390-401; de sterilizatione, 392-5.
- Liturgica praecepta violans ex metu, 52-7.
- Lucri appetitus, 23n.
- Maledicens pluribus, 229.
- Materia gravis, 293; in voto, 303.
- Matrimonii impedimenta, v. Epikeia, Rescripta; de matrimonii valore dubitans nec inquirens, 84.
- Medicus frequenter peccans cum feminis aegrotis, 290.
- Meditatio, imposita a superiore religioso, 334; a confessorio vel pro lucranda indulgentia, 335.
- Mendicantium privilegia, 370-373.
- Metus, 47-61, v. Vis; definitio et distinctio, 47-9; et voluntarium, 49; et legis obser-

- vantia, 50 s., 57; et actus irriti vel irritabiles, 50; et delicta atque poenae, 51; quoad fornicationem, 58; onanismum et sodomiam, 59; furtum, 60; et clausurae violationem, 61.
- Missam omittens auditu impossibilem, 183.
- Monialis quoad desideria superiorissae, 200.
- Montium ascensio periculosa, 162-6.
- Moralitas, 126; ex obiecto, 126-36; ex circumstantiis, 137-46; ex fine, 147-58; ob duplicem effectum, 159-72; ex conscientia erronea, 173-87; imperfectionum, 188-202.
- Morem gerere, quid, 69.
- Multiplicatio peccatorum, v. Peccatorum distinctio.
- Munera ob finem pravum, 154.
- Narcotica prae operatione chirurgica, 170; v. Euthanasia.
- Negative se habere quoad stuprum, etc., 67.
- Negotiationi vacans, 23; religiosus, 206-9.
- Obiectio conscientiae tempore belli, 187.
- Obligatio sub culpa, sub poena, sub utraque, 416.
- Obreptio, 358.
- Occasio peccati, 281-92; quid et quotuplex, 281-2; se exponens proximae, 283; existens in proxima, 284.
- Occidens plures, 220-3.
- Occisio, debiliū, 132; morbo laborantium, puerorum ad cautelam, 133; v. Innocentis; matris ad baptizandum fetum, 167.
- Offensio populi, 55.
- Officii divini, omissio, 228; recitatio a voluntarie distracto, 329-33.
- Oppressa femina, v. Resistencia.
- Opus bonum agens ob finem etiam malum, 168.
- Oraculum, 355.
- Ordinatio operum in Deum, 27-36; opera non ordinata in Deum an sint mala, 33; operum ordinatio virtualis in Deum et in creaturam, 36.
- Ordinatus ob falsum titulum, an valide, 82.
- Parochus conventus coram iudice civili, 400.
- Passive se habere quoad stuprum, etc., 67.
- Peccans, ob omissam orationem, 211; corde, ore et opere, 214.
- Peccatorum distinctio, specifica, 203-15; numerica, 216-30.
- Peccatum, eius qui non cogitat de gravitate, 305; mortale, quae requirat, 293-305; num ideo rarum, 304; veniale quomodo fiat mortale, 306-14; peccati occasio, 281-92.
- Peregrini, 369, 374-5.
- Piae Unionis moderator nimia exigens, 418-21.
- Poena vindicativa, 367.
- Pollutionem nocturnam putans peccatum, 184.
- Praeceptum, 414-26; quid et quotuplex, 414; eius proprietates, 417; et lex, 414; grave, 293; personale ubi obliget, 424; num multiplici satis fieri possit uno actu, 425; vel uno tempore, 426; v. Gravitas.
- Praedicare incipiens ob finem bonum et prosequens ob malum, 155.
- Preces in rescriptis, v. Rescripta.
- Proiectio, lapidis in avem cum hominis occisione, 121; pueri lupis vel quorundam in mare, 134.

- Prodigus et avarus, 213.
 Proprietatem privatam putans iniustam, 185-6.
 Redemptio a vexatione iniusta, 394.
 Religionis actus, pro insigni obtinendo, 152-3; secundo ob pravam concupiscentiam, 157; ut placeat superioribus, 158.
 Religiosus, putans se teneri ad observantias aliorum Institutorum et ad omnia quae perfectioni favent, 199; frangens Regulam, 201; vacans negotiationi, 206r9; paenitens votorum, 261-3.
 Renovatio intentionis, v. Ordinatio.
 Rescripta, 355-66; **quid**, et quotuplicia, 355-6; a quibus impetrari possint, 357; condiciones, 357-8; commissoria, 356; invalida, 359; ob causam inexistentem, 363-4; ob tacitam repulsam praevidiam, 365; eorum interpretatio, 359.
 Reservatio, 371; et ignorantia, 371; quoad senem impotentem qui domo egrediatur, 377; absolvens in dubio reservationis, 378.
 Resistencia oppressori, 40-6; debita sub vi atque metu, 63-9.
 Restitutio, an facienda ab oppressa, 44; an a confessario, 78-80.
 Sacerdos, subiacens praecepto personali, 424.
 Sacrilegium personale et reale, 212.
 Sexualis excitatio involuntaria non augenda, 111.
 Sinceritas animi, num sufficiat, 12.
 Sollicitudo, de operando bono et vitando malo, an sit satis, 11; de renovanda intentione, 34-5.
 Status pathologicus, 100.
 Sterilizatio, 392-5.
 Stoici, 26.
 Stuprum, 43n.
 Subreptio, 358.
 Suicidii, obsessio, 110; malitiae ignorantia, 318, 323.
 Superioris competentia, 415.
 Suspendio episcopalis quoad sacerdotes asistentes publicis spectaculis, 372-5.
 Theologia moralis traditionalis, 1.
 Tristitia, de bono peracto, 269; de vita alicuius, 279; de improborum prosperitate, 280.
 Uxor, **faciens eleemosynas contra vetitum viri**, 422.
 Violentia, v. Vis.
 Virgo oppressa, v. Resistencia.
 Vis, 37-46; et metus, 62-9; **quoad sodomiam**, 63-5; quoad fornicationem, 66.
 Visitatio tabernae pro ebrioso, 288.
 Vitae reddenda ratio, 420.
 Voluntarium, **non voluntarium et involuntarium**, 37; et liberum, 99; indirectum, 159.
 Votum oboedientiae Romano Pontifici, 208; paupertatis, 209.

